



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

Titulus XXXVI. S. Spiritus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

Vita spiritualis, est, plus curare de Spiritu, quam de corpore. S. Vinc. Ferr. ser. 3. Pent.

§. IV.

*Varia.*

*Oculi tui columbarum.* Cant. 1. 14. Cassiodorus, Origenes, Beda, Theodoretus, & S. Bernardus s. 45. per oculos columbæ accipiunt intuitum spiritualium: quod scilicet anima in res non carnales, sed spirituales, aspicit; eaque appetit, & intendit. Cornelius hic.

*Et surgentes eadem hora.* Luc. 24. 33. Ob-  
liti sunt corporalium, spiritualibus jam refecti: repudiarunt corporis mensam, pigritiam abjecerunt. Regressi sunt Jerusalem: bona scilicet nuntiare, quæ viderant: ut consolatio, quæ illis per huiusmodi visionem erat propria, fieret cum cæteris ipsorum relatione, communis. Sim. Cass. l. 14. hic de Resurr.

Dignum protinus est, cum spiritualia intenduntur, quod corporalia remittantur. Sim. Cass. l. 1. c. 10.

## TITULUS XXXV.

### SPIRITUS.

**N**osti, quod Esau frater meus homo pilosus sit, & ego lenis. Gen. 27. 11. Moraliter per Jacob, qui lenis fuit, significatur Spiritus; qui lenis & mitis, naturaliter est creatus: per Esau pilosum significatur caro, quia superflua quærit. Hugo Card. in Sap. 10.

*Ubi erat impetus Spiritus, illic gradientur.* Ezech. 1. 12. Sic Sanctorum corda illuc gradientur, quò impetus divini Spiritus fert. Impiorum corda impetus carnis Mundi, demonis, rapit. Igneo curru raptus est Elias. 4. Reg. 2. 11. Igneo spiritu rapiuntur viri Eliæ similes. Barradius tom. 2. l. 2. Dom. 1. primâ Quadr. c. 7. morale.

*Charissimi, nolite omni spiritui credere.* 1. Joan. 4. 1. S. August. s. 13. de Verb. Ap. repeto, quia necesse est, ut repetam, & hoc mentibus vestris vehementer inculcem: *Charissimi, nolite &c.* In temporalibus commodis confidite, quibus liberit; & auscultate quemlibet erudientem: sed ubi in rebus gerendis periclitari potest, vel iustitia, vel divina lex, neminem audite, nisi Spiritus peritissimum. Oliva t. 8. conc. 29.

Et si corpus includitur, et si caro detinetur; omnia spiritui patens. Tertull. lib. ad MM.

De vita tua cum natura non deliberas; minus attendens, quid caro possit, quam quid spiritus velit. Hildebertus ep. 1. ad amicum Religiosum.

Solet à doctis inter alia unum utriusque Spiritus prænotari discrimen: quòd Angelus in principio terreat, & dulcescat in fine; Diabolus è converso. S. Thom. Vill. conc. 2. de An-nunt.

Nulla consonantia est Spiritus Dei, ad spiritum huius Mundi, Blesensis de institut. Episc. c. 4. voluit DEI sapientia spiritum rationalem conjungere materię: quatenus nos ista connexiono doceret, spiritum nostrum cum DEO, qui Spiritus est, facilius conjungi posse. Gerfon. tr. 9. sup. Magnif.

Desideria tua parvò redime: quia hoc tantum curare debes; ut desinant: atque quasi ad exemplar compositus divinum, à corpore ad spiritum, quantum potes, te festina reducere. S. Martinus Bracar. de vera virt. c. 3.

## TITULUS XXXVI.

### S. SPIRITUS.

§. I.

*Figuræ*

*Ex Veteri.*

**S**piritus DEI ferebatur super aquas. Gen. 1. 2. S. Hieronymus ait, verbum Hebraum propriè significare, *incubare*, sive *confovere*, sicut volucres ova suo colore fovent. de Ponte in Cant. 1. Exhort. 10. §. 4. *Ferebatur.* Arabica Biblia: *volitabat*, ut ales se gerebat, alis se movebat; sicut, interprete S. Basilio, & Hieronymo; volucres, dum super ova, & pullos, quasi pendulæ, leviter se alarum agitatione librant; iisque deinde incubant, calorem aspirant, fovent, & animant. Ità Spiritus S. potentiâ, & voluntate suâ aquis vim prolificam indebat; ut reptilia, volatilia, pisces, & germina, imò cæli omnes, ex aquis

producentur. Allegoricè hic significatur Spiritus S. aquis Baptismi quasi incubans, iisque nos parturiens, & regenerans, inquit S. Hieron. epist. 83. Cornelius hic.

*Emisit quoque columbam.* Gen. 8. 8. Arca fuit Ecclesia, Noë Christus, columba Spiritus S.; oleæ folium DEI benignitas. S. Chrysostr. tom. 6. tr. in terrâ motum. Spiritum S. in suâ maximè persona, illa columba significavit, quam de arca Noë sanctus emisit. Rupertus in Gen. 1. 4. c. 23. Noë, id est, Deus, de arca, id est, de cælo, mittit columbam, id est, Spiritum S.: & venit ad palatium dominorum temporalium; & invenit eos plenos iniustitiâ, rapinâ; non inveniens, ubi requiescat pes ejus. Venit ad Prælatos, & invenit eos plenos Simoniâ, &c. S. Vinc. Ferr. serm. in Vigil. Pent. Per diluvium designatus Baptismus: per

per columbam, quæ detulit *ramum olivæ vi-*  
*rentibus foliis in ore suo*, signatur Spiritus  
S. quò confirmantur Credentes ab Episcopis  
per unctiōnem sacri chrismatis post gratiam  
Baptismi. Per arcam, quæ de lignis impu-  
tribilibus est fabricata, designatur Ecclesia, Hay-  
mo hom. in Dom. 2. Epiph.

*Per diem in columna nubis.* Exod. 13. 21.  
Quod nubes erat Israël, id nobis est Spiritus  
auxilium. B. Theodoretus l. 1. in Cant.

*Ut sugeret mel de petra &c.* Deut. 32. 13.  
id est, ut dilectioni Creatoris affectus,  
tandem dulcedinem celestis doctrinæ caperet  
de petra, Virgâ Crucis, & Passionis, percul-  
sâ; scilicet de Christo præsentia prædi-  
cante ore mellifluidò; *oleumq; de saxo duris-*  
*simo*, id est, Spiritum S. de eodem Christo.  
S. Rupertus Abb. l. 2. in Deut. c. 7. hic.

*Ascendit ignis de petra.* Judic. 6. 21. *Pe-*  
*tra autem erat Christus.* 1. Cor. 10. 4. Ignis  
de petra ascendit, quando Spiritus S. in igne  
à Christo missus fuit Discipulis. Et bene di-  
citur ascendere, quia nos facit ascendere.  
Considerandum autem, quòd de petra a-  
quam, oleum, ignem, mel, legimus mini-  
strata; quibus Spiritus S. figuratur: qui per  
effectum gratiæ suæ aqua est incipientibus,  
oleum proficientibus, ignis consummantibus,  
mel regnantibus. *Petra fundebat mihi ri-*  
*vos olei.* Job. 29. 6. *De petra melle saturavit*  
*eos.* Psal. 80. 17. *Spiritus meus super*  
*mel dulcis.* Eccl. 24. 27. S. Bonaventura l.  
4. in die Pent.

*Unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ.*  
*&c.* Psal. 44. 8. Quid est oleum lætitiæ? at-  
qui Christus nusquam unctus est oleo, sed  
Spiritu S. - Oleum enim erat signum Spiritus  
S.; res autem principalis, & necessaria, erat  
Spiritus S. Chrysol. hic. *Unxit te &c.* id  
est, Spiritu Sancto. S. Thom. Aqu. in Cant. 1.

*Eruclavit cor meum &c.* Psal. 44. 2. Cor  
Deus, os Pater, lingua Filius, calamus Spiritus  
S. S. Bonaventura l. 12. de subtilitate fidei.

*Lingua mea calamus scribæ.* Psal. 54. 7.  
Linguam Dei Patris, Spiritum S. promptum est  
intelligi: quia, sicut lingua carnis ministrat  
verba hominis; ita Spiritus S. animæ credulæ  
suggerit verba Dei. Rupertus l. 11. c. 23.

*Concupiscet Rex decorem tuum.* Psal. 44.  
12. Loquens de desponsatione humanæ na-  
turæ, sibi eam accommodat. Quid dat ei?  
annulum: Quemnam? Spiritum S. dicit Pau-  
lus 2. Cor. 1. 22. *qui signavit vos, ac dedit*  
*pignus Spiritus.* S. Chrysol. hic.

*Quis mihi dabit pennas sicut columbæ?*  
Psal. 54. 7. Non orat, ut corporales pennas acci-  
piat columbæ, sed pennas columbæ Spiritus S.  
Origenes hom. 6. in Isa.

*Sicut unguentum in capite, quod descen-*  
*dit in barbam &c.* Psal. 132. 2. Humiliatò,  
exaltatò, pio JESU, defluxit unguentum Spi-  
ritus S. à capite, id est, à Christo, id est, un-  
ctò. in barbam; id est, in eos, qui viriliter e-  
gerunt, & confortati sunt, ut sperarent in Do-  
mino. Et non solum in barbam Aaron, non  
solum Christi Apostolis datum unguentum

*Polyanti, Sacra, Tom. II.*

hoc, quod liquet actum tuit igne Passionis  
Christi; ut daret odorem bonæ opinionis per  
omnem terram: sed quòd *descendit in oram*  
*vestimenti*, id est, in infima membra Ecclesiæ,  
quæ est tanquam Christi vestimentum. S.  
Bernardus tr. de Pass. D. c. 43.

*Osculetur me osculo oris sui.* Cant. 1. 1.  
Per osculum intelligit Spiritum Sanctum, quem  
Ecclesia petit sibi dari. S. Bernardus f. 8. in  
Cant. qui est osculum, id est, amor Patris, &  
Filius. Desiderat gustare dulcedinem gratiæ,  
quæ appropriatur Spiritui S. participando ejus  
bona, & suam gratiam. S. Thom. Aqu. Lect.  
1. in Cant. hic.

*Sub umbra ipsius.* Cant. 2. 3. Umbra Chri-  
sti est Spiritus S. S. Gregorius apud Cornelium  
hic. Umbra Christi protectio est Spiritus S.  
Spiritus quippe Sanctus mentem, quam replet,  
obumbrat: quia omnium tentationum fervo-  
rem temperat. S. Gregor. hic.

*Introduxit me Rex in cellam vinariam.*  
Cant. 2. 4. Annon tibi cella videtur fuisse vi-  
naria illa domus, in qua *erant Discipuli pa-*  
*riter congregati, cum factus est repente*  
*de celo sonus &c.* Nonne unusquisque eo-  
rum exiens inebriatus ab ubertate domus il-  
lius, & torrente voluptatis tantæ potatus, di-  
cere merito quibat: quoniam *introduxit*  
*me &c.* S. Bernardus f. 49. in Cant.

*Surge aquilo, & veni auster.* Cant. 4. 16.  
S. Gregorius: quid per aquilonem, qui in fri-  
gore constringit, & torpentes facit, nisi im-  
mundus Spiritus designatur; qui reprobos  
omnes, dum possidet, a bono opere torpere fa-  
cit. Per aultrum verò calidum scilicet ven-  
tum, Spiritus S. signatur: qui, dum mentes  
Electorum transit, ab omni torpore relaxat,  
& ferventes facit. Apud Cornelium hic. *Sur-*  
*ge &c.* Ut videlicet Spiritus malignus ab Ec-  
clesia, vel unaquaque electa anima, discedat;  
& Spiritus S. adveniat. S. Gregorius hic. Au-  
strò veniente, aquilo surgens recedit; cum ad-  
ventu S. Spiritus expulsi antiquus hostis,  
qui in corpore mentem constrinxerat, defe-  
rit; atque hortum sponsi auster perflat, ut  
aromata defluant. S. Gregor. moral. l. 9.  
c. 6.

*Visio Isaiæ.* c. 1. l. Lex te Patrem Legislato-  
rem repræsentat, Evangelium te Filium in-  
carnatum, Prophetia te Spiritum S., qui locu-  
tus es per Prophetas, Patri ascribitur æterni-  
tas, Filio veritas, Spiritui S. charitas. Patri  
providentia, Filio Sapientiæ, Spiritui S. Ordo  
& unio. Patri creatio, Filio gubernatio, Spiritui  
S. conservatio. Patri prædestinatio, Filio  
Redemptio, Spiritui S. sanctificatio. Patri vo-  
catio, Filio iustificatio, Spiritui S. glorificatio.  
Patri via purgativa, Filio illuminativa, Spiritui  
S. unitiva. Patri præterita, Filio præsentia, Spi-  
ritui S. futura. Patri principium, Filio medium,  
Spiritu S. finis, & terminus. Sicut memoria parit  
intellectionem, intellectus amorem; & sicut  
fides parit spem, spes charitatem: ita Pater  
nerat Filium, Filius cum Patre spirat Spiritum  
S. Cornelius Comment. in quatuor Proph. Ma-  
jor. Dedic. ad SSS. Trinit.

T t t t 2

Adducet

uia con-  
arnem,  
quòd,  
undum  
ommo-  
lã. 1.

si non  
ugi gu-  
iplare,  
m Dei:  
ge cum  
72. 5.

hostis,  
quòd  
natio-  
ouf. de

4.

11.

sunt:  
ies ab  
us, cir-  
naben-  
quan-  
clesia:  
n illis.  
ngelo-  
pugnæ  
nctus.

Me-  
ro, ad-  
& ten-  
ut in  
14. in  
rator;  
63. de  
mum  
& vi-  
oluit.  
ro no-  
signa-  
stigi;  
tiam,  
retur.

homi-  
ncun-  
oculis  
ium.  
stan-  
præ-

quod  
butas  
a, qui  
nem-  
n, ex  
n vo-  
essia,  
1. 19.  
after.  
Qui

*Adducet urentem ventum Dominus.* Os. 13. 15. Ventus urens Spiritus S. ascendens de deserto, id est, de caelo, desiccans venas concupiscentiarum. Hugo Card. in Gen. 8.

*Deus ab austro veniet.* Habac. 3. 3. Sicut auster nubem pluviarum dulcium, ita charitas Spiritui S. Christum cum pluvia gratiarum, venire cogit. S. Bonaventura serm. 7. D. 1. Adv.

### Ex Novo.

*Circuibat JESUS totam Galileam, docens in Synagogis eorum, & pradicans Evangelium.* &c. Matth. 4. 23. Opera hujusmodi pietatis portendebat signum illud, sive significatio praesentiae Spiritus Sancti; quae super illum apparuit, scilicet species columbae. Matth. 3. 16. quae nimirum avis naturaliter mitis est, & septem habet insignia pietatis; quae numerare solent Physici: quia sine felle est; & genitum pro cantu habet; & in foraminibus petrae, sive caverna maceriae, nidificare solet; & nihil vivum comedit; & grana candidiora eligit; & pullos alienos nutrit; & juxta fluentia plenissima insidiosum praevidet, atque effugit, accipitrem. Rupertus l. 3. in Matth.

*Nubes lucida obumbravit eos.* Matth. 17. 5. Fortè Spiritus S. est lucida illa nubes, obumbrans Sanctos-Origenes tr. 3. hic.

*Redde illis mercedem.* Matth. 20. 8. Decimo die post ascensionem Domini missus est Spiritus Sanctus: quia in mercedem Denarius promittitur operariis perseveranter in vinea Domini laborantibus. B. Ivo Carnot. serm. in Pent.

*Et navigantibus illis &c.* Luc. 8. 23. Navigantibus Discipulis, id est, Fidelibus quibusque, saeculi fluctus calcantibus, & ad portum aeternae beatitudinis tendentibus, ventus est flatus Spiritus S. gratia ejus pro velo, liberum arbitrium pro remo. Hugo Card. hic.

*Si in digito Dei ejicio demonia.* Luc. 11. 20. Dignus Dei singulariter Spiritus S. accipitur. S. Anselmus, l. de vestim. membris &c. DEI.

*Ignem veni mittere in terram.* Luc. 12. 49. Spiritus Sanctus est ignis, quem Dominus venit ut mitteret in terram; qui in specie linguarum dividebatur Discipulis. S. Gregor. Nyss. hom. 10. in Cant. Altare nostrum Christus est; ignis, qui ex eodem altari est, Levit. 3. 11. Spiritus S. est: quem utique ignem ille venit mittere in terram, & voluit vehementer accendi. Porro holocaustum nostrum, cor nostrum est, totum incensum, id est, totum divino amori deditum; & propter illum ab omni carnis amore separatum. S. Rupertus Abb. l. 1. in Levit. c. 28. Christiani caelestem illum ignem habent vice alimenti: ille ipsis est requies; ille expurgat, lavat, & sanctificat, cor corillorum: ille praebet eis augmentum; ille est eis aer, & vita. S. Macarius hom. 14.

*Date annulum in manum ejus.* Luc. 11. 22. Annulus in manu ejus, pignus est Spiritus S. propter gratiae participationem; quae digito Dei

benè significatur. S. August. Quaest. Evang. q. 33.

*Hic est, qui baptizat in Spiritu S.* Joan. 1. 33. Nota: quod Spiritus S. apparuit in triplici specie scilicet in columba in Baptismo; in nube, in transfiguratione; in igne super Discipulos. Et respondent haec tribus statibus: *Incipientibus* enim illabatur ut columba: quia reddit eos gementes, & meditantes. *Proficientibus* ut nubes: quia conamine mentis facit eos sursum ascendere de virtute in virtutem, *Perfectis* in igne: quia illos inflammat, ut sursum tendant, per desiderium, & etiam proximos accendant per beneficia. S. Bonaventura in Luc. 3.

*Si scires donum Dei.* Jon. 4. 10. Quia ipse scitebat fidem ejus; eidem scienti Spiritum S. dare cupiebat. Hanc enim rectè intelligimus aquam vivam; quod est donum DEI. S. August. l. 83. Q. 9. 64. Spiritus S. est fons, cujus aquae, id est, effectus, saliant in vitam aeternam, Joan. 4. S. Thom. Aqu. Lect. 4. in Rom. c. 8.

*In uno Spiritu potati sumus.* 1. Cor. 12. 13. Potest hic potus intelligi de interno refrigerio, quod Spiritus S. humano cordi praebet, extinguendo sitim carnalium desideriorum, & concupiscentiarum. S. Thom. Aqu. hic Lect. 3.

### Ex Patribus, & aliis.

Ut sponte sol radiat, dies illuminat, fons rigat, nubes irrorat; ita se Spiritus caelestis infundit. S. Cyprianus ep. 2.

Ignis & oleum merito superiora semper appetunt: quia per ipsorum figuram superferri universae creaturae Spiritus Sanctus probatur. S. Isidorus l. 1. Sent. c. 8.

Mittam tibi Spiritum Paracletum, qui tibi dnoet pignus &c. Paracletus donat pignus salutis, scientiae lumen, & robur vitae: ut, quod per naturam tibi est impossibile, per ejus gratiam ejus fiat non solum possibile, sed & facile. S. Bernardus l. 2. de Pent.

Sicut intra pectus consistit cor à quo procedit vita corporalis; sic à Spiritu S. procedit vita spiritualis. S. Vincentius Ferr. l. 3. D. 23. Trinit.

Clavis est Spiritus S. qui cor tuum aperiat, prout mihi placuerit, ad honorem meum, & hominum utilitatem. l. 4. Revel. B. Brig. cap. 100. V. C.

Molendinum alatum, quod auram expectat. Lem. *Ni Spirat, immota.* Masenius.

### §. II.

#### S. Spiritus varia nomina & laudes.

*Spiritum rectum innova in visceribus meis &c.* Pl. 50. 12. Pleriq; Spiritum rectum ad Dominum referunt Jesum, qui peccatum Mundi abstulit, & omne hominum genus sui sanguinis effusione renovavit: Et ideo dictum est, *Spiritum rectum* &c. Spiritum autem sanctum, de quo dicit: *Spiritum sanctum tuum ne auferas a me*, Spiritum intelligunt veritatis. Spiritum verò *principalem*, Deum Patrem arbitrantur, S. Ambros. hic.

Factus

*Factus est repente de caelo sonus &c.* Act. 2. 2. Sonus igitur de ore Domini procedit, cum substantialis ei Spiritus ad nos per Filium veniens furditatem nostram insensibilitatis rumpit. S. Gregor. mor. l. 27. c. 10. In testamento veteri passim dicitur *Spiritus Dei*, *Spiritus Domini*; solum in novo testamento dicitur *Spiritus Sanctus*: quia in Legè nova maxime ejus Sanctitas manifestata est, Singulariter in Incarnatione; quæ est fons, & origo, totius Sanctitatis. Sylveira hic. q. 12.

Spiritus S. est Patris, & Filii, amor, & connexio: ad ipsum pertinet societas; quæ efficiuntur unum. Corpus hominis multis constat membris, & vegetat omnia membra una anima; faciens in oculo, ut videat; in aure, ut audiat; & sic in cæteris. Ità Spiritus S. membra Corporis Christi, quod est Ecclesia, continet, & vegetat. S. August. l. de gratia novi testamenti.

Facies Filii Spiritus Sanctus est. S. Cyrill. Alex. l. 9. c. 24. in Joan.

Omnes linguas Spiritus S. intelligit. S. Pacianus Ep. ep. 2.

Spiritus Iesus, spiritus bonus, Spiritus S. spiritus rectus, spiritus dulcis, spiritus principalis: quicquid in hoc seculo nequam videtur difficile, & angustum; leve factum, & latum. S. Bernardus f. 3. in Ascens. Dom.

Dulcissimum quiddam in Deo Spiritus S. est. Est benignitas Dei, & idem ipse Deus. Proinde, si celebramus Sanctorum solennia; quanto magis ejus, à quo habuerunt, ut sancti essent, quotquot fuerunt sancti. Idem s. i. in festo Pent.

§. III.

*S. Spiritus amor, bonitas, liberalitas, in nos.*

*Ex Veteri.*

*Spiritus Dei ferebatur super aquas.* Gen. 1. 2. Quid putamus esse hunc spiritum? nisi bonitatem, amorem, Dei. Hic nempe ferebatur super aquas, nihilominus & super aridam, quæ sub aquis latebrat. Quia videlicet magno super creaturam suam Creator affectu ducebatur: ut, quia non poterat esse, quod ipse creaverat; tales ex ea faceret formas, in quibus Creatori conjungeretur, conviveretque. Rupertus Abb. l. 1. c. 7. in Gen. Priusquam Mundi creaturam ornari ceptum esset, & *Spiritus Dei*, inquit Scriptura, *ferebatur super aquas*, & exinde, sepius ornati expleto, *requievit Deus*, ait, *ab universo opere.* Gen. 2. 2. videlicet, quod illam efficaciter creaturam in opere actus suis esset affectus, super quam requiesceret Spiritus ejus; qualem facere, vel invenire, gestiens, antè *ferebatur super aquas*. S. Rupertus l. 1. in Gen. c. 1.

*Veneruntque duo Angeli.* Gen. 19. 1. Duo scilicet, qui ab Abrahamo recesserunt, tertio cum ipso remanente. Symbolicè: Angelus unus è tribus, representans Deum Patrem, manserat cum Abraham; ut ejus domum benedicat, eumque patrem efficeret ad generandum Isaac.

Unde videtur hic Angelus, fuisse medius, & primarius inter tres, puta Michael; qui duos socios, Gabrielem, & Raphaelem misit ad exsecrandam Sodomam Gabriel enim, juxta ethymon suum, est *fortitudo Dei*; puta fortis executor divinæ justitiæ: hicque representat secundam in Trinitate personam. *Raphael* verò videtur esse Angelus, præses castitatis, & ultor incestus: hic representat Spiritum S. qui est tutor, & vindex, castitatis, summusque osor libidinis. Addunt nonnulli: Filio additum Spiritum S. (*neque enim Pater judicat quemquam.* Joan. 5. 22.) quia Deus Pater judicium, & vindictam, bonitate, & clementiâ, quæ appropriatur Spiritui S., temperat, & mitigat. q. d. mitto Filium, ut vos judicet, & perdat: sed addo ei Spiritum S. qui vos invitet ad poenitentiam; quam si capestis, Spiritus S. judicium, & vindictam, Filii silet. Cornelius hic.

*Videbant descendentem ignem.* 2. Paral. 7. 3. Ignis hic figura Spiritus S. ut ait Lyranus.

*Vidi Dominum sedentem &c.* Il. 6. 1. Pater, cum omnipotentiam denoter, ostenditur in throno excelsò: at Spiritus S. cum sit amor, descendit; ut suos coelestibus donis repleat. Matth. 3. 16. *Vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam.* Sylveira in Joan. 13. q. 8.

*Eruñtavit cor meum verbum bonum.* Pl. 44. 2. Bonum illud verbum, ipsam boni verbi substantiam totâ plenitudine edidit in utero Virginis; & Regi, id est, homini, quem formabat de ejusdem utero Virginis, operâ suâ sic indidit; ut sit & ipse opifex, seu artifex, non dissimilis. Rupertus l. 11. c. 24.

*Ego, ego ipse consolabor vos.* Il. 51. 12. Non legatus veniet, aut Angelus; sed *ego, ego ipse consolabor vos.* Consolatione propria; quæ nemo alius potest consolari vos. Paracletum, id est, consolatorem ego habeo; Paracletum Spiritum S. ego vobis dabo. S. Rupertus hic.

*Effundam spiritum meum super omnem carnem.* Joel. 2. 28. Quod dicit *effundam*, abundantem denotat Spiritus donationem: nam hic non ad mensuram Deus dat Spiritum. S. Cyrillus Jerof. Catech. 17. Verbum effusionis ostendit muneris largitatem. V. Beda in Act. 2.

*Ex Novo.*

*Inventa est in utero habens de Spiritu S.* Matth. 1. 18. Cur non dicit Mattheus in utero habens de Patre æterno, aut de Filio? sicut dicit de Spiritu S.? R. id æquè verè dicere potuisse: opera enim SSS. Trinitatis ad extra omnibus tribus Personis sunt communia. Sed maluit dicere *de Spiritu S.*: quia sicut potentia appropriatur Patri, Sapientia Filio; ita amor, bonitas, gratia, quæ in Incarnatione maxime elucet, attribuitur Spiritui S. S. Thomas 3. p. q. 32. a. 1. & seq. docet. Tò *de Spiritu S.* significare, ex puro amore Dei, & Spiritus S., sine meritis hominum, peractam esse Verbi Incarnationem. Cornelius hic. *Inventa est &c.* virtute, & operatione Spiritus S.; qui ex purissimis Virginis Sanctissimæ sanguinibus corpus

T t t 3

ia con-  
rtem,  
quod,  
undum  
mmo-  
a. i.  
si non  
gi gu-  
plare,  
n Dei:  
e cum  
72. 5.

noftis,  
& quod  
natio-  
usc. de

7.

b.

*sunt.*  
ies ab  
os, cir-  
abent-  
quan-  
clesia:  
n illis.  
ngelo-  
pugnæ  
nctus,

. Me-  
co, ad-  
& ten-  
ut in  
l. 4. in  
rator;  
63. de  
mum  
& vi-  
oluit.  
ro no-  
digna-  
cungi;  
tiam,  
retur.

homi-  
ncun-  
oculis  
ium.  
stan-  
præ-

quod  
butas  
n, qui  
nemi-  
m, ex  
m vo-  
essæ,  
I. 19.  
easter.  
Qui

pus Christi formavit, organizavit, & animâ rationali decoravit. Quæ omnia facta sunt in instanti à tota sup̄beatissima Trinitate: quamvis adscribantur Spiritui S. eò quòd ad misericordiam, bonitatemque Dei pertineat, tanquam effectus ineffabilis clementiæ Dei: clementia autem, & bonitas, appropriantur Spiritui S. Dion. Carthuf. hic.

*Sedet à dextris Dei.* Marci 16. 19. Maldonatus: animadvertit, in literis sacris, nunquam Spiritum S. sed solum Patrem, & Filium, dici sedere. Patri tribuitur potentia, Filio Sapientia, Spiritui S. Amor. Esti Potentia, & sapientia, valeant quiescere, & sedere; amor minime, sed semper operativus est. Sylveira hic, Didacus Celada in benedict. PP. bened. 4. Spiritus S. qui amor infinitus est, merito nunquam dicitur sedere: magnus enim amor otia sessionis nescit; semper actuosus est, nunquam otiosus. Act. 2. 3. *Seditque supra singulos eorum.*

*Spiritu S. replebitur.* Luc. 1. 15. Cui adest spiritus gratiæ, nihil deest: & cui spiritus infunditur, magnarum plenitudo virtutum est. S. Ambros. l. 1. c. 1. in Luc.

*Mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam.* Luc. 16. 24. Barradius t. 4. l. 4. c. 7. appellamus Spiritum S. dexteræ Dei digitum. Habet digitus, hac cœlesti aquâ intinctus, vim ad consolandum maximam.

*Spiritus, ubi vult, spirat; & vocem ejus audit.* Joan. 3. 8. Cur Spiritus Dei magis Spiritus, sive aeris, ac ventis, quàm ignis, & aqua; nomine describitur? ut instruamur, quàm communis velit esse. Nam cœtera elementa, quidem ad unius pertinere dominum possunt; ut dicat, mea est hæc aqua, meus ignis, mea terra: verum, meus est hic ventus; meus aer; nemo verè dicere potest: cum hæc nullius private jurisdictioni subsint. Did. Niff. D. 1. Quadr. §. 6.

*Seditque supra singulos eorum.* Act. 2. 3. Mirum est, quòd dicatur ignis *sedisse*; cum ejus proprietas sit, semper moveri, & sursum tendere. Quomodo ergo sedet, & est mobilis? Imò, quia cupit sedere, semper movetur: quia valde exoptat quiescere, semper sursum tendit: amor enim Dei nunquam potest esse otiosus, de Ponte in Cant. 1. Exh. 8. §. 4.

*Ipse Spiritus postulat pro nobis.* Sc. Rom. 8. 26. Genuinè: Spiritus S. postulat, id est, desideria amicorum suorum, eorumque gemitus, in Consistorio SSS. Trinitatis, quasi Advocatus noster, exponit magnâ instantiâ, pondere, & autoritate: quasi ipse præsit omnibus postulationibus; sitque quasi Præfectus libellorum supplicium nostrorum apud Deum. Cornelius hic.

*Nescitis, quia amicitia hujus Mundi inimica est DEI? An putatis, quia inaniter Scriptura dicat, ad invidiam concupiscit Spiritus, qui habitat in vobis; majorem autem dat gratiam.* Jacobi 4. 4. §. 6. q. d. ædes animæ nostræ concupiscit Deus, idque ad invidiam, quasi zelò laboraret; quòd sibi tam diviti, & munifico; hospiti non concedatur domus; cujus ille usum largissimè remuneratur; cum demoni semper pateat, qui tam

improbè rependit. Si princeps, unaque e fœce quispiam, eandem sibi domum locatam cuperent; atque ea principi negaretur, addicereturque plebejo: nonne hoc principi gravi probro esset? maxime si hic censum majorem offerat? Animæ domum vult sibi Spiritus S. vult & Spiritus nequam. Et quid homo? demoni eam, cheu! nimis sæpe tradit: cum tamen, ut ait Jacobus, Spiritus S. majorem det gratiam. Did. Niff. D. 2. Pent. §. 5.

#### Ex Patribus, & aliis.

Spiritus Sanctus omnium viventium anima-quasi sol omnia calefaciens subiecta, omnia nutrit. S. Cyrianus de Spiritu S.

Implet Spiritus S. organum suum; & tanquam fila chordarum tangit digitus Dei corda Sanctorum. S. Ambros. ep. 84. circa finem.

In donis DEI nihil majus est charitate: & nullum majus est donum Dei, quàm Spiritus S. S. Isidorus orig. l. 7. c. 3.

Spiritus S. idcirco in columbæ specie venisse scribitur; ut natura ejus per avem simplicitatis, & innocentia, declaretur. Hæc enim avis corporaliter ipsò felle caret; habens tantum innocentiam, & amorem. Id. ib.

Pretiosum sanè donum est Spiritus Sanctus ille bonus. S. Cyrill. Jerof. Catech. 16.

Spiritus S. illa Paterni cordis benigna vena est; de qua usque ad nos miseratio larga, tanquam flumen inundans, procurrit. Rupertus de div. offic. l. 7. c. 10.

Per Passionem Christi hoc actum est, quòd gratia Paracleti spiritus in nos effusa est: nam si Christus non passus in cœlum ascendisset; profectò iste Spiritus gratiæ, qui per sanguinem ejus peccata remittit, datus non fuisset. S. Rupertus l. 12. in c. 16. Joan.

Per Spiritum S. quem accepimus à Deo, sumus de cœlesti habitatione adipiscendâ certis, sicut per pignus de debito recuperando. S. Thom. Aqu. Opusc. c. 9.

#### §. IV.

S. Spiritus bonitas, & misericordia, erga peccatores.

#### Figuræ, Symbola.

*Spiritus Dei ferebatur super aquas.* Gen. 1. 2. Quia, quocunque fluant homines peccata, semper superfertur Dominus: sicut avicula super nidum, cum pulli ejus rapiuntur clamitans: *tu fornicata es cum amatoribus multis, tamen revertere, dicit Dominus, ego suscipiam te.* Jer. 3. 1. Hugo Card. hic. *Super aquas*: utique super cor nostrum fluidum, & tenebrosum; V. Beda hic.

*Emisit columbam.* Gen. 8. 8. Ut in Arca Noe columba non defuit, ita nunc quoque Spiritus S. in columbæ specie, non in assumpto corpore, advenit, suoque adventu Dei misericordiam orbi annuntiavit. Victor Antioch. in Evang. S. Marci. 1.

*Altare de terra facietis mihi.* Ex. 20. 24. Altare, in quo ignis, imago divini Spiritus, non ex auro, imò ne quidem ex lapide; sed ex terra, con-

ra, construitur. Vides, peccatoribus maxime delectari Spiritum S.; qui reiectis gemmis, arde in terra voluit ignem, simblachrum sui, Oli-va l. 10. Strom. §. Emitte Spiritum &c.

*In terra deserta, & in via.* Pl. 62. 2. En, quò Spiritus S. descendat; unde felicitet ascendit nihil. *In terra deserta* emicat gloria Domini; nec deserta tantum, sed & *in via*, quò cultor accedere nequit; desertum commutaturus in hortum. Dominus ignem suum non palmæ, sed rubo iniecit. Ex. 3. 2. cum Moyfi apparuit. *In ossa arida* irumpit. Ezech. 37. 5. quæ non adipe, non medullis impinguntur; sed arida prostant in agro instar silicium. Oli-va l. 3. Strom. §. In terra deserta.

*Vox turturis &c.* Cant. 2. 12. Quare non turturum? fortè Apostolus id solvit, cum ait: quia ipse Spiritus postulat &c. Rom. 8. 26. *Vox turturis*, id est, vox Spiritus S. ut Glossa exponit: nam ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus &c. Rom. 8. 26. S. Thom. Aqu. Lect. 2. hic.

*Et in manu ejus calculus &c.* Il. 6. 6. Hebr. carbo, vel pruna ignita Calculus hic ignitus Symbolum erat Spiritus S. gratiæ; quæ à peccatis Isaiæ, & cujusvis poenitentis, animam purificat, & sanctificat. Ita S. Ambros. l. 1. de Spir. S. c. 9. Cornelius hic.

*Tu petisses ab eo, & dedisset tibi aquam vivam.* Joan. 4. 10. Aquam porro vivam, vivificantem Spiritus S. gratiam, appellat; per quam humana natura ab ariditate, infœcunditateque, quæ diaboli actibus infecta erat, depulsa; ad pristinam pulchritudinem, ac viriditatem, irrigata recurrit; magnò virtutum numero florens, & charitate erga Deum suavissimos fructus producens. S. Cyrill. Alex. l. 2. c. 82. in Joan.

### Testimonia.

#### Ex Veteri, & Novo.

*Si quando accesseris ad expugnandam civitatem, offeres ei primum pacem &c.* Deut. 20. 10. Sic oppugnat Spiritus S. velut urbem rebellem, peccatorem: pacem primum illi offert; si vitam corrigit; & poenitentiam agat. Si pacem recipit, portasque Deo aperit, servatur; servitque Deo sub felici tributo amoris. S. pacem respuit; gladio divinæ sententiæ percucitur, &c. Barradius t. 4. l. 5. c. 7. D. 4. Patch.

*Domine, ut scuto bonæ voluntatis coronasti nos.* Pl. 5. 13. Impossibile est, quidquam boni à nobis peragi; nec perturbationes animi superari, nec acres diaboli laqueos evitari; nisi gratia Spiritus S. muniti, ipsum hac de causa in nobis habeamus. Hinc Psalmista cantabat: *ut scuto &c. bonæ voluntatis* scutum nihil aliud appellans, quam protegentem nos spiritum; & ineffabili suâ virtute ad id nos convertentem, atque in eo conservantem; quò Deo penitus placet. S. Cyrillus Alex. l. 9. c. 45. in Joan.

*Et sanguinem laverit - in Spiritu judicii.* Il. 4. 4. Genuine: Spiritus S. est Spiritus judicii: quia facit 1. ut nostra videamus, judicemus, & damnemus, peccata. 2. discernit Fidelem ab infideli, pium ab impio. 3. quia mentem

illuminat per fidem, tribuens remissionem peccatorum; faciensque, ut pia, sancta, cœlestia, judicemus, id est, æstimemus, discernamus, & amplectatur, præ vanis. Cornelius hic.

*Spiritus est, qui vivificat.* Joan. 6. 64. *Dixit eis: pax vobis. Et cum hoc dixisset.* &c. Joan. 20. 19. 20. Manifestè hic illa de pace agitur, quæ est remissio peccatorum: quò primum, & maximum, est Spiritus S. donum. S. Rupertus l. 14. hic.

*Accipietis virtutem &c.* Act. 1. 8. Alii legunt, potentiam, robur, fortitudinem, Spiritus S. Hugò Card. ut, quò non potestis ex infirmitate, possitis ex virtute Spiritus S. sylveira hic.

*Apperuerunt illis dispersa lingua, tanquam ignis.* Act. 2. 3. Ac super Christum D. descendit ut columba. Matth. 3. 16. Rationem dat S. Gregorius hom. 30. in Evang. quia peccata nostro, quæ piè Dominus per mansuetudinem tolerat, nos per zelum rectitudinis debemus cautè conficere; & ardore semper poenitentia cremare. Mendoza in 1. Reg. 11. 12. Annot. 10. Sect. 2.

### Ex Patribus.

Remissio peccatorum, sive per baptismum, sive per alia Sacramenta, donetur; propriè Spiritus Sancti est: & ipsi soli hujus efficientiæ privilegium manet. S. Cyprianus de Baptismo Christi.

Quoscumque accesserit Spiritus S. eos pro luteis reddidit aureos, S. Chrysol. hom. 4. in Act.

Propria, pariter & eximia, peculiarisque, Sancti Spiritus virtus, & efficacia est; ut & purificet, & remittat peccata. S. Gregor. Niss. de orat. Dom. or. 3.

Querat aliquis: cum & Pater Spiritus, & Filius Spiritus, & Pater sanctus, & Filius sanctus; quam ob causam vocabulum hoc, quò est Spiritus Sanctus, proprium adscribatur Personæ huic? & sola hæc Persona sic vocari debuit? Ad hoc, inquam: nimirum, quia tota Personæ hujus operatio, non aliud, nisi Sanctificatio est. Hæc operationum distinctio diligenter animadvertenda est: quia Deus omne, quò factum est, per Filium fecit: & omne, quò sanctum est, Spiritum suum sanctificavit. Quid enim est spiritus ejus, nisi amor ejus? Et quomodo creaturâ quæcumque rationalis aliter, nisi amando Creatorem potuit unquam, vel potest, sanctificari? Sinè quò nec Angelus sanctus, nec homo sanctus; quem non habens Angelus, diabolus est: quem non habens homo, Anti Christus, vel membrum diaboli, est Rupertus l. 1. in Matth. 11.

Nemo mundatur à fordibus delictorum, sinè Spiritus S. gratiâ. S. Laurent. Just. de triumph. &c. c. 1.

Officium donorum Spiritus S. est, dissipare omnes vitiatorum obliquitates. Primum enim Timor propulsat reliquias superbiæ; Pietas reliquias invidiæ; Scientia reliquias iræ; ira enim quasi quædam insania est. Eccl. 7. 10. ira in sinu stulti requiescit. Fortitudo reliquias avaritiæ; Consilium avaritiæ: disponit enim Consilium ad spiritus paupertatem. Matth. 19. 21.

*si vis*

ia con-  
rnem,  
quòd,  
indum  
mmo-  
à. 1.  
si non  
gi gu-  
plâ re,  
o Dei:  
e cum  
72. 5.

nostis,  
quòd  
ratio-  
usc. de

2.

6.

*sunt.*  
ies ab  
is, cir-  
aben-  
quan-  
clesia:  
o illis.  
ngelo-  
ugnæ  
nctus,

. Me-  
to, ad-  
& ten-  
ut in  
1. 4. in  
rator;  
63. de  
mum  
& vi-  
oluit.  
o no-  
signa-  
tingi;  
etiam,  
retur.

boni-  
nunc-  
oculis  
ium.  
stan-  
præ-

quod  
butas  
n, qui  
nemi-  
n, ex  
m vo-  
essia,  
I. 19.  
easter.  
Qui

*fi vis perfectus esse &c. Intellectus* reliquias gulæ; quæ mentem brutalem facit. *Sapientia* reliquias luxuriæ: quia gustatō spiritu desipit omnis caro. S. Bernardinus. f. in die Pent.

## §. V.

## S. Spiritus respiciens pœnitentes.

**B**eatī, qui lugent. Math. 5. 5. id est, pœnitentiam agunt: *quoniam ipsi consolabuntur*: ipsi enim sunt, quibus promittitur, & datur, Paracletus, id est, Consolator Spiritus S. S. Rupertus lib. in Evang. c. 18.

*Vidit spiritum, tanquam columbam.* Marci 1. 10. Spiritus S. in specie columbæ descendit: nam ubi reconciliatio cum Deo intercedit, ibi columba præstō esse consuevit. Victor Antioch. hic.

*Spiritum Veritatis, quem Mundus non potest accipere.* Joan. 14. 17. Mundum hic appellat amatores Mundi. Quare autem Paracletum hunc Spiritum veritatis non possunt accipere immundi amatores Mundi? Videlicet, quia consolationem suam habent, quia non lugent; quia de peccatis suis, quorum hic Paracletus remissor est non dolent. S. Rupertus lib. 11. hic.

*Accipite Spiritum Sanctum.* Joan. 20. 22. In solo Sacramento Pœnitentiæ dixit: ad significandum, hoc esse singulare in Sacramento Pœnitentiæ; quod actio Sacramentalis requirit in Ministro, Spiritum S. dirigentem, & moventem; requirit iudicium internum secundum Spiritum S. qui est Spiritus Sapientiæ. &c. Cajetanus hic. Dupliciter Spiritus S. datus. Primò in cenaculo post Resurrectionem; quando leniter, & suaviter, *JESUS in sufflavu, & dixit, accipite spiritum S.* Joan. 20. 22. Secundò cum impetu *vehementi* Act. 2. 2. Quæ differentia? Post Pascha leni flatu se habet, datur enim ad dimittenda peccata: *quorum remisistis peccata.* Nunc verò validò impetu venit: quia ad peragenda negotia regni Dei instigabat. Cùm peccatoribus contritis leniter, & affabiliter, se habeat minister: at in negotio regni Dei exequendo, vehementi conatu se exhibeat. Sylveira c. 13. in Joan. 14. q. 12.

*Factus est repente de cælo sonus &c.* Act. 2. 2. Spiritus S. est repentinus in festina conversione; nescit tarda molimina. *Nè tardes converti ad Dominum.* Suscipiamus ergo nunc repentinum Spiritum ad conversionem; nè accipiamus repentinum interitum ad damnationem. S. Bonaventura f. 5. in Pent.

Væ illis, qui rebelles huic lumini, & resistunt Spiritui S.; nec acquiescunt veritati, quam intelligunt: & sicut lutum ex calore solis, ita ex bonitate, & beneficiis Dei, duriores fiunt: Audacter etiam provocantes eum; cùm ipse dederit omnia in manibus eorum. Guarricus f. 1. die Pent.

Primum signum, quòd animam inhabitet Spiritus S. est contritio, & lacrymosa compunctio cordis.

Profectò, quamdiu animal gemit, tamdiu perpenditur, in eo esse Spiritus vitæ. S. Bernardinus. f. in fer. 6. Pent.

## §. VI.

## S. Spiritus respiciens lacrymas.

**Q**ui dat nivem sicut lanam &c. Psal. 147. 16. Videmus nivem, nebulam, crystallum; Bonum est, ut ille spiret. Si enim ille non spiraverit; si non ipse duritiem glaciæ hujus dissolverit; *ante faciem frigoris ejus quis sustinebit?* Cujus? Dei. Unde est ejus frigus? Ecce deserit peccatorem; ecce, non vocat, ecce non aperit sensum, ecce non infundit gratiam. Sequitur: *emittet verbum suum, & liquefaciet ea.* Non desperet nix, non desperet nebula, non desperet crystallum. De nive, tanquam de lana, conficietur & tunica: nebula illa in pœnitentia invenit salutem; *quia quos prædestinavit, illos & vocavit.* Sed, licet sint inter Prædestinatos durissimi, & multò quasi tempore congelaverint, & crystallus facti fuerint; non erunt duri misericordiæ Dei. *Emittet verbum suum, & liquefaciet ea.* S. August. hic.

*Flavit Spiritus ejus, & fluent aque.* Psal. 147. 18. *Emittes spiritum tuum, & creabuntur; & renovabis faciem terræ.* PL103. 30. Renovatur terra, quando gelicidium peccati resolvitur in aquas, id est, lacrymas flante austrò. Hugo Card. in Joan. 13.

*Et vidit Spiritum Dei descendentem.* Matth. 3. 16. Fletu trahitur divinus Spiritus. Jordanem dum attingit Christus; ecce columba divina advolat ad rivus aquarum. Guarricus f. 2. de Pent: Nescio, si Spiritui S. qui in columba apparuit, alia vox familiarior gemitu, aut gratior, sit. Puto, quia neque in Apostolis locum invenisset Paracleti consolatio; nisi quia lugebant se delatos. Elias 3. Reg. 18. 32. holocausta aquis rigavit, quò ignem de cælo traxit, Osee 12. 1. de Jacob: *flavit, & rogavit eum.* Baeza t. 1. l. 5. c. 8.

*His autem auditis compuncti sunt.* Act. 2. 37. Vide prophetiam Joel impletam, *sanguinem, & ignem, & vaporem fumi;* carnem post ignem Spiritus S. vaporem sequi compunctionis: fumus enim excutere lacrymas solet. Sanguinem Dominici lateris, ignem Spiritus S., vaporem compunctionis, & fletum. V. Beda in Act. hic.

Spiritus S. dicitur Aufter propter calorem, propter splendorem. Habac: *Deus ab Austro venit:* propter pluviam multiplicationem. Psal. 125. *sicut torrens in Austro:* propter arborum fructificationem. Cant. 4. *veni Aufter per flumina hortum meum.* S. Thom. Aqu. in Jerem. 13.

## §. VII.

## S. Spiritus docet, illuminat.

## Ex Veteri.

**L**ingua mea calamus Scribæ velociter scribentis. Psal. 44. 2. Lingux pernicitatem laudat.

dat. Non sat apta videtur metaphora: quis enim scriba æquet linguæ velocitatem? Basilius hic: calamus ea scribit, quæ manum, quæ tenetur, scribere iussit. Per velocem autem scribam, gratiam ostendit: qui namque de suo loquitur, tardus est medicando, & componendo; quando verò Spiritus mentem movet, nihil est, quod remoretur. Pinna Ethol. 111. *Scriba*, id est, Spiritus S. q. d. quod loquor, à meipso non loquor. Sicut enim calamus non scribit, quod vult, sed quod scribens vult; sic homo non prædicat à se, sed à Spiritu S. dictante, & scribente in corde prædicatoris, & in cordibus audientium. Hugo Card. hic. Scriba Spiritus S., quoniam sapiens, & præter omnes velociter scribit: velox enim Dei motus est. S. Basilius hic.

*Vox Dilecti mei.* Cant. 2. 8. *Factus est repente de cælo sonus.* Act. 2. 2. Ideo hic sonus, vel vox, dicitur de cælo facta: quia Spiritus S. veniebat virtute, & meritis, Christi; qui paulò antè in cælum ascenderat. Et quia vox illa, & adventus, Spiritus S. excitat nos ad contemplanda dona cælestia, ut præparemur ad recipiendum illa: cum enim enim aliquem repentinum, & vehementem sonum audimus; illicò faciem vertimus, & oculos levamus, ad locum, sonus venit. de Ponte hic Exh. 6. §. 2.

*Et sanguinem Jerusalem laverit in Spiritu iudicii.* If. 4. 4. Spiritus S. est Spiritus iudicii: quia mentem illuminat per fidem, tribuens remissionem peccatorum; faciensque, ut pia, sancta, cælestia iudicemus, id est, discernamus, & amplectamur, præ vanis. Cornelius hic.

*Similitudo autem vultus eorum &c.* Ezech. 1. 10. S. Macarius Eremita hom. 1. comparat animam cum Ezechielis curru: videbat enim mysterium animæ, quæ Dominum suum amplexura, & thronum gloriæ futura erat. Anima liquidem, quæ cum Spiritu S. præparante illam sibi in sedem, & habitationem; participare lumen ejus dignata, & pulchritudo inenarrabilis gloriæ ejus illustrata est; tota fit lumen, tota facies, & tota oculus: nec ulla ejus pars, quæ oculis ejus spiritualibus luminis plena non sit. Quatuor autem illa animalia; currum ferentia, typum præferebant præcipuarum animæ rationalis partium. Dico autem, voluntatem, conscientiam, mentem, & diligendi vim.

### Ex Novo.

*Præcidentes adoraverunt eum.* Matth. 2. 11. Vide, quanta sit distantia in modis discendi; quantum distet inter eruditionem illius, qui per Angelum, sive per hominem; & illius, qui per solam Spiritus S. revelationem, meretur erudiri. Pastores Judæi quippe, qui in regione eadem erant, vigilantes, & custodientes vigiliis noctis supra gregem suum; non per hominem, sed, quod majus est, per Angelum, natum sibi esse Salvatorem Christum Dominum, didicerunt. Et tamen non adeò docti, sive eruditi, fuerunt, ut præcidentes adorarent, aut munera offerrent. Sed tantummodo venerunt, & cognoverunt de verbis: quod dictum erat illis de puero hoc, & reversi sunt glorificantes. Polyanth. Sacra Thom. II.

*tes & laudantes Deum.* Luc. 2. 9. Isti primitiæ gentium, neque per hominem docti, neque per Angelum; sed per Spiritum S., modò, de quo jam dictum est, laudem perfece- runt. Rupertus l. 2. in Matth.

*Si in digito DEI ejicio demonia.* Luc. 11. 20. Matth. 12. 28. in Spiritu DEI. Spiritus S. vocatur Digitus, quia digito indicamus: unde quidam digitus Index nominatur. Spiritus a. S. Sancta nobis: & salutaria, per suas indicat inspirationes: quidquid demonstrat, ut amplectaris. Amplectere, quidquid ostenderit: ut caveas, & fugias; cave, & fuge. Barradius t. 2. l. 8. c. 16. Dicitur Spiritus S. digitus Dei: quia sicut per digitum entia indicantur; ita per Spiritum S. divina hominibus demonstrantur; juxta Joan. 16. 13. *cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Dion, Carthul. hic.

*Huic ostiarius aperit.* Joan. 10. 3. Ostiarius dicitur Spiritus S.; in quo Scripturæ, quæ ostendunt nobis Christum, aperiuntur. Theophylactus hic.

*Ille vos docebit omnia.* Joan. 14. 26. Paracletus consolatorem, & exhortatorem, significat. Ille Apostolos docuit: nos quoque docet, exhortatur; verba suggerit, & inspirat. Barradius tom. 4. l. 5. c. 8. Dom. 6. Pasch.

*Ille docebit vos omnem veritatem.* Joan. 16. 13. Omnis veritas dicitur hoc loco non absolute; sed illa, quæ ad fidem, & mores, attinebat, ad Ecclesiam regendam, & Scripturas intelligendas. Non enim docuit Apostolos Mathematicas scientias, aut Philosophiam; sed scientiam Christianam. Idem tom. 4. l. 5. c. 5.

Acta Apostolorum S. Chrysostomus nominat hunc librum: dogmata Spiritus S. œcumenius, Evangelium Spiritus S. Nam, uti, inquit, quatuor Evangelistæ scribunt Evangelia, Actaque, Christi; sic Lucas hic describit Evangelium, Actaque, Spiritus S.; quæ scilicet ipse gessit per Apostolos. Cornelius Argumento in Acta Apost.

*Domine, si in tempore hoc &c.* Act. 1. 6. Inutiliter quærenti Discipulo Magister sapiens non respondet. Non sciscitetur miles castrensis, quod tantum scire regiam spectat majestatem. Plus novit docere, quam nos discere valeamus; & docet utilia, etiam non rogatus. Hinc per Isaiam dicitur: *ego Dominus DEUS tuus, docens te utilia.* c. 48. 17. Multa suis Verbis revelavit, quæ prævidit in utilitatem hominum vergere. *Sed accipietis virtutem &c.* Plus est gratia, seu præsentia, S. Spiritus, quam qualibet præsentia futurorum. Hinc quoque novimus, quod Spiritus S. Apostolos non omnia docuerit; sed quæ in eorum, & Ecclesiæ futura, cessarent utilitatem; quod Paulus ad Cor. refert 1. 12. 7. *unicuique datur manifestatio Spiritus ad utilitatem.* Sim. Cass. l. 14. hic.

*Apparuerunt illis despecta linguæ.* Act. 2. 3. Cur Spiritus S. in figura linguarum venit? Uuuu Voluit

ia con-  
rtem,  
quod,  
indum  
mmo-  
a. r.  
si non  
gi gu-  
plare,  
n Dei:  
e cum  
72. 5.

noftis,  
quod  
ratio-  
usc. de

7.

t.

sunt.  
ies ab  
s, cir-  
taben-  
quan-  
clesia:  
o illis.  
ngelo-  
ugæ  
uctus,

. Me-  
co, ad-  
& ten-  
, ut in  
1. 4. in  
rator;  
63. de  
mum  
& vi-  
oluit.  
o no-  
digna-  
cifi gi-  
tiam,  
retur.

homi-  
nuncun-  
pculis  
uum.  
stan-  
præ-

quod  
butas  
n, qui  
nemi-  
n, ex  
m vo-  
essia,  
r. 19.  
easter.  
Qui

Voluit hoc visibili signo ostendere, quod prædictum in Scriptura, & à Christo promissum. Nam de Doctoribus Canonis dicitur Pl. 44. 2. *lingua mea calamus scribe &c.* quia eorum lingua sunt tanquam calamus, qui à Spiritu S. scribente dirigitur. Christus dixit Matth. 10. 20. *Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Et Luc. 21. 15. *ego dabo vobis os, & sapientiam.* Et Marci 16. 17. *linguis loquentur novis.* Voluit ostendere Spiritus S. virtutem promissam, scilicet doctrinam Apostolorum, eorumque verba, esse ab ipso dictante & dirigente. Sylveira hic q. 5.

#### Ex Patribus, & aliis.

O qualis est artifex iste Spiritus! nullâ ad discendum morâ agitur in omne, quod voluerit, mox enim, ut tetigerit mentem, docet; solumque tetigisse, docuisse est. Nam humanum animum subito ut illustrat, immutat: abnegat hoc repente, quod erat; exhibet repente, quod non erat. S. Gregor. hom. 30. in Evang. circa finem.

O quam velox est sermo sapientiæ; & ubi Deus Magister est, quam citò discitur, quod docetur. S. Leo f. 1. de Pent.

Spiritus S. omnia ad bonum, & ad salutem, dirigit: primum enim mansuetus illius adventus, fragrans progressus, onus levissimum; ante suum accessum radios lucis præmittens, & cognitionis. Venit illuminare mentem primum quidem ejus, qui recipit illum: deinde per ipsum & cæteros. S. Cyrillus Jerof. Catech. 16.

Quòd si fortè sedenti tibi, de castitate, & virginitate, subeat cogitatio; illius est ea doctrina. Nonne persape puella, jam ad sponsi thalamum constituta, effugit, Spiritu S. de virginitate eam docente? Nonne saepe splendidus aliquis homo aulicus contempsit divitias, probè instructus à Spiritu S.? Nonne juvenis saepe videns pulchritudinem, compressit oculos; & ne amplius videret, aufugit, pollutionemque vitavit? Quaris, unde id contingat? Spiritus S. certè sic eruditur animum adolescentis. -- Tot sunt avaritiæ cupiditates in Mundo; & tamen nihil possidere eligunt Christiani. Quâ de causâ? propter Spiritus S. annuntiationem. Id. ib.

Magnum igitur commilitonem, & auxiliatorem, apud Deum habemus; magnum Ecclesiæ Doctorem: magnum protectorem nostrum. Non metuemus ergo demones: major enim est, qui certat pro nobis; modò illi ostia aperiamus. Obambulat enim ille, qui digni sunt, quærens; & quibus bona confert. Id. ib.

Clavis tibi Psalmorum, omnisque Prophetiæ, est Spiritus S. S. Andreas Cæsar. f. 3. c. 8. Apoc. Proprium erat opus Patris, facere; opus Filii, redimere; proprium Spiritus S. opus illuminare, & ad similitudinem Dei hominem producere. S. Rupertus l. 1. de ob. Spiritus S. cap. 11.

Omne bonum consilium de salute hominum est à Spiritu S. S. Thom. Aqu. Opusc. 10. c. 8.

Sol est Spiritus S., illuminans corda Prophetarum: qui quandoque sub nubibus apparet, quandoque sine nubibus. Idem Prologo in Psalmos.

#### §. VIII.

#### Spiritus S. inflammat, dat Dei amorem.

Hodie, juxta Prophetæ verbum, *ignis à facie ejus exarsit*, Pl. 17. 9., *carbones, id est, Apostoli sancti, atque discipuli, succensunt ab eo.* S. Bernardinus f. in die Pent.

*Comedite amici, & bibite, & inebriamini, Charissimi.* Cant. 5. 1. Multi legunt ex Hebræo: *inebriamini amoribus*, id est, Spiritu S.; & omnibus affectibus, & operibus illius; ut nihil in animo vigeat, nisi amor Dei. de Ponte hic Exh. 2. §. 5.

*Et Sanguinem Jerusalem laverit in Spiritu judicii.* Il. 4. 4. Spiritus S. dicitur Spiritus ardoris: vel, ut Vatablus vertit, Spiritus incendii, id est, charitatis tum divinæ, tum nostræ, nobisque infusæ; quâ nos ipse accendit, carnisque vitia adurit. Cornelius hic.

*Ignem veni mittere in terram.* Luc. 12. 49. Per hunc ignem intelligit Spiritus S. S. Ambrosius. Sed cur voluit Christus mittere Spiritum S. ut ignem? S. Bernardus serm. 3. de verb. Il. vult Seraphim fabricari, ut ibi staret, ubi tu corruisti: ut tabescas amplius, & livore proprio torquearis. Seraphim ab incendio nomen: ideo Spiritus S. venit, ut Seraphinos plures faciat. Sylveira Addit. in Joan. 14. Luc. 12.

*Apparuerunt illis dispersita lingua.* Act. 2. 3. Cœlestis Spiritus congregatis Discipulis, quos ad officium publicationis suæ Legis deputarat, dedit dispersitas linguas, tanquam ignem: hoc modò aperte ostendens, quòd prædicatio Evangelii tota esset ad corda hominum inflammanda. S. Franc. Sales. tr. de div. am. in Præf. ad Lector.

Omnium viventium anima - quasi sol omnia calefaciens subjecta, omnia nutrit. S. Cyprianus de Spiritu S.

Hic prætereundum non est, quòd de hoc magno Præsede hujus cœli eleganter prædicare solent Physici: quòd sit fons ignis ætherii, cor cœli, sive mens, & temperatio Mundi. Rupertus l. 1. c. 41. in Gen.

Spiritus S., qui est amor Patris, & Filii, dari nobis; est, nos adduci ad participationem amoris, qui est Spiritus S.: à qua quidem participatione efficimur amatores Dei. S. Thom. Aqu. Lect. 1. in Rom. 5.

Nullam aliam virtutem sanat Spiritus S. in corde humano sic illi connaturalem; sicut amorem, & charitatem. Cum Deus creavit animam, *ad imaginem & similitudinem suam, creavit illam*: scilicet ad imaginem charitatis; quia *Deus charitas est.* 1. Joan. 4. 16. S. Bernardinus tom. 2. l. 3.

#### §. IX.

## §. IX.

## S. Spiritus respiciens patientiam, tribulationes.

## Ex Veteri.

*Spiritus Dei ferebatur super aquas.* Gen. 1. 2. Neglecto firmamento aquis incumbit. Cur mare præcussit non terræ solum, sed & cælo? Adamavit aliqua in æquore, quæ in homine amaret. Mare ventorum vi concutitur quidem, & feruet; sed litus non excedit, suisque se continet finibus; legis memor vel in futuro. Imitare & tu mare, ut æquus sis. *Turbatus sum, & non sum locutus.* Psal. 76. 5. Job. 1. 20. *Scidit vestimenta, sed labiis non peccavit.* v. 22. Oliva l. 9. Strom. §. Spiritus Dei &c.

*Bibi vinum meum cum lacte meo.* Cant. 5. 1. Hoc vinum meum oblivionem mihi fecit laborum præteritorum, juxta illud: *date siceram merentibus.* Bibe, & bibendum dediti his, qui amarò mecum fuerunt animò. Biberunt, & obliiti sunt egestatis, atque doloris. Denique Spiritum S. dederam illis, Spiritum Paraclætem; qui unus, idemque est, & vinum meum, & lac meum. *Vinum meum,* quia gaudium de presentibus bonis: *lac meum;* quia consolatio de præteritis malis. *Vinum meum,* quia dilectio Dei: *lac meum,* quia dilectio proximi. S. Rupertus l. 4. in Cant. hic.

## Ex Novo.

*Ipsè nos baptizabit in Spiritu S. & igni.* Matth. 3. 11. Duplex est sensus: alter significans solenne principium ablutionis totius humani generis, celebratum in die Pentecostes &c. Alter significans baptismum tribulationis. Cajetanus hic. *In spiritu S. & igni.* id est, tribulationis, vel purgativò, vel tentationis. S. Bonaventura in Luc. 3. Quis hic ignis? Auth. Imp. op. intelligit tribulationes; quibus, quasi igne, suos affligit Christus, & mundat.

*Deus meus! Deus meus! ut quid dereliquisti me?* Matth. 27. 46. Non deest, qui putet, geminatà illà repetitione, Patris, & Verbi, significari Personas: sicut Pl. 66. 7. *benedicat nos Deus, Deus noster; benedicat nos Deus.* juxta Genebrardum, tres divinæ hypostases designantur. Trina repetitio nominis Dei non caret mysteriò SSS. Trinitatis. Hinc inquirò: cur Christus D. non conqueritur de Spiritu S.? quia hic est Amor, quò Pater, & Filius, mutuò amore se diligunt. Æquum erat, ut de eo non quereretur, quando patiebatur Christus in cruce. Nam de amore tum conqueri, cum occasione ei dedit patendi; in injuria reputaretur amoris. Castillo Illat. 43.

*Ignem veni mittere in terram.* Luc. 12. 49. Ignis in terram mittitur, cum per ardorem S. Spiritus afflata terrena mens à carnalibus suis desiderijs concrematur. S. Gregorius hom. 2. in Ezech. 1. Tertull. 1. 4. contra Marcion. c. 29. Maldonatus, & Franc. Lucas, per hunc ignem *Polyanth. Sacra. Tom. II.*

intelligunt odia, diffensiones, tribulationes, & persecutiones, ab infidelibus.

*Vos autem sedete in civitate &c.* Luc. 24. 49. Vas igni appositum citò comminuitur, si vacuum sit; quod tamen plenum conservatur. Et quia vasa Apostolica debebant conjici in ignem tribulationum; prius repleta sunt Spiritu S., nè comminuerentur. Stella hic.

*Apparuerunt illis tanquam ignis.* Act. 2. 3. Ignis portendit tribulationem magnam, & multiplicem; quam passuri erant Apostoli, & Fideles: sed superaturi per ignem amoris divini, quem idcirco hic eis dedit Spiritus S. Cyrill. Jerof. Catech. 17.

## Ex Patribus.

Cum Spiritus Dei descendit, individua patientia comitatur eum. Si nos cum Spiritu admiserimus, in nobis morabitur semper. Imò nescio, an diutius perseveret sine sua comite, & ministrà. Tertullian. lib. de pat. in fine.

Sæpe propter Christum afficitur contumelià, & ignominia, quispiam: Martyrium imminet; tormenta undique, & ignis, & gladius, & bestia, & gurgites. Verùm interea Spiritus S. alloquitur: *sustine Dominum: parva sunt ista, quæ sunt: brevè tantum tempore labora; & in sempiternum eris cum Angelis.* S. Cyrill. Jerof. Catech. 16.

Via Christianæ religionis sic se habet: ubi Spiritus S. ibi illic sequitur, velut umbra, persecutio, & pugna. S. Macarius hom. 14.

Sicut mare, cum turbatur, oleò infusò, cedit naturà suà tempestas, lenitate olei procellam extingente: sic anima nostra, cum lenitur gratià Spiritus S., jucundè tranquillatur. S. Diadochus Ep. de perfect. Spir. c. 35.

*Repleti sunt omnes Spiritu S.,* id est, inebriati sunt omnes divino amore. Talis ebrietas in hoc consistit: quòd homo tantò amore erga Deum continuè inardescat; ut non solum fallidiat creaturæ solatium; sed etiam querat, & delectetur, invenire tormentum; pro solatio sibi reputans omnem penam, opprobrium, & flagellum. S. Bernardinus l. in die Pent.

## §. X.

## S. Spiritus respiciens charitatem, pacem.

## Symbola

## Ex Veteri.

## Columba.

*Rursum dimisit columbam ex Arca. At illa venit ad eum ad vespèram, portans ramum olivæ viventibus folijs in ore suo.* Gen. 8. 10. 11.

*Et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam.* Matth. 3. 16. Columba animal est, quod, præ omnibus volatilibus cæli, homines amat; & contubernale est, ac mansuetum, innocensque, & fecundum, & domesticum: quod versatur, quiescit, & habitat, in domibus nostris. Sicut & Spiritus S. dicit de nobis: quia habitabo, & conversabor cum

Uuu u a

eis,

eis. S. Chrysoft. f. in Pent. de S. Spir. Tunc Spiritus venit super ipsum in specie columbæ: quia tunc inchoabat officium suum spiritu animalis Mundi, volantis non longè à terra: suâ conversatione mansueti, sinè armis extrâ, sinè felle intus; nec solum mansueti, sed fecundissimi: quia Pater futuri Sæculi veniebat, universo Mundo utilissimus. Cajetanus hic. Spiritus S. idcirco in columbæ specie venisse scribitur, ut natura ejus, per avem simplicitatis, & innocentiam, declaretur. Hæc enim avis corporaliter ipsò felle caret; habens tantum innocentiam, & amorem. S. Ildorus Orig. 1. 7. c. 3. Idcirco in columba venit Spiritus S.: simplex animal, & lætum est; non felle amarum, non morsibus fævum, non unguivium laceratione violentum. S. Cyprianus de unit. Eccl. Columba animal est mite, & nostrâ familiaritate gaudens. S. Chrysoft. hom. 26. in Gen.

### Alia Symbola.

*Spiritus Dei ferebatur super aquas.* Gen. 1. 3. Subcælestes aquæ, oportebat, ut congregarentur in unum; proinde, quia *Spiritus Dei ferebatur super aquas.* Ut intelligamus, aquas dispositas ad operationem divinam; hominum voluntates, super quibus fertur spiritus voluntatis, divinæ, quas in unum jubet congregari divina voluntas; in unum Baptisma; in unum corpus Ecclesiæ, atque fidei, & virtutis; in unum velle; in unum amorem; in unum, quem ante suum adventum omnia proclamaverunt, unum Redemptorem omnium Christum. Sim. Cass. 1. 8. c. 37.

*Accesserunt ossa ad ossa.* Ezech. 37. 7. Quæ indicant, dispositionem Adventus Spiritus S., esse concordiam, & charitatem. de Ponte in Cant. 4. Exhort. 25. §. 2.

### Testimonia.

#### Ex Novo.

*Sedete in civitate.* Luc. 24. 49. Decebat, eos donum aeternæ pacis in pacifica civitate recipere; ut mores fierent cum aeterno dono concordæ. Sim. Cass. 1. 14. hic.

*Ab Hierosolymis nò discederent.* Act. 1. 4. Cur hæc civitas præ aliis eligitur ad adventum Spiritus S.? Quia Jerusalem interpretatur *visio pacis*; quæ à Spiritu S. inter Christianos fundanda. Sylveira hic.

*Erant omnes pariter in eodem loco.* Act. 2. Nonne super congregatos Discipulos descendit Spiritus? annon in cœnaculo, ipso Resurrectionis die fidelibus adunatis apparuit Christus? diligit unitatem; nec à fraternitatis elongari potest Collegio. S. Laurent. Just. in festo. OO. SS. In scriptura nullum otiosum verbum. Illud *pariter* videtur superfluum. Hugo Card. pariter concordiam voluntatum, & in eodem loco. S. Bernardus lib. de modo vivendi: nihil prodest, si nos contineat una domus, & separet voluntas diversa. Plus diligit Deus unitatem animi, quam loci. Naxera in Jos. 18. §. 10.

*Sedit que super singulos eorum.* Act. 2. 3. id est, super eorum capita. Cum autem ornamentum capitis sit corona; non incongruum erit, illam formam ignis super caput, coronam capitis appellare; sicut vocat S. Cyrillus Catech. 17. dicens: in specie linguarum ignearum sedit super Apostolos, ut novæ coronæ spirituales, per linguas igneas, imponerentur capiti illorum. Dies Pentecostis fuit dies desponsationis ejus cum Ecclesia; quæ facta est per exhibitionem legis gratiæ, & charitatis, cordibus Fidelium impressæ; multò excellentiùs, quam per collationem legis veteris; de qua tamen dicit Jer. 2. 2. ad Jerusalem: *recordatus sum tui, miserans adolescentiam tuam, & charitatem desponsationis tuæ; quando secuta es me in deserto.* de Ponte in Cant. 3. Exh. 38. §. 2.

*Erat cor unum, & anima una.* Act. 4. 32. Psal. 4. 7. *signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* & mox in singulari: *dedisti lætitiã in corde meo.* Consequenter videbatur dicendum, in cordibus nostris. Ubi primùm vultus divini flamma irradiat pluribus, destruit pluralitatem, & in unum cor omnium corda coadunat. Rupertus de glorificatione Trinit. 1. 6. c. 15. de multitudine credentium cum dixisset, *signatum est super nos,* protinus uti maluit singulari numero, dicens ex persona: *dedisti lætitiã in corde meo.* Et rectè: quia *multitudinis credentium erat cor unum, & anima una.* Quam quoque unitatem cordis, & animæ, illud quoque adverbium pulchrè exprimit: *quoniam tu Domine singulariter in se constitivisti.* Pl. 4. Dixerat enim v. 8. *à fructu instrumenti vini & olei, multiplicati.* Quos amor inter se in unum connectit; sub unâ eadem spe omnes cohibet; ut non multiplex, sed unica sit expectatio. Sylveira hic q. 18.

*Etenim in uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus. & omnes in uno spiritu potati sumus.* 1. Cor. 12. 13.

*Fructus autem Spiritus est charitas.* Galat. 5. 22.

*Solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis.* Ephes. 4. 3.

#### Ex Patribus, & aliis.

Spiritus S. est Patris, & Filii, amor, & connexio: ad ipsum pertinet societas, quæ effici-mur unum. Corpus hominis multis constat membris; & vegetat omnia membra una anima; faciens in oculo, ut videat; in aure, ut audiat; & sic de cæteris. Ità Spiritus S. membra Corporis Christi, quod est Ecclesia, continet, & vegetat. S. August. 1. de gratia novi Testam.

Sicut spiritus humanus nunquam vivificat membra, nisi fuerint unita; sic nec Spiritus S. nos vivificat, nisi in pace uniti fuerimus, S. August. l. 2. ad FF. in eremo.

Mens Spiritus S. templum effici omnino non potest, iracundiæ in nobis Spiritu commorante. Joan. Cassian. de Cœnob. instit. 1. 8. c. 21.

Non habitat Spiritus S., ubi furor. S. Chrysoft. hom. 17. in Act.

Est

Est Spiritus ipse indissolubile vinculum Trinitatis: per quem, sicut Pater, & Filius, unum sunt; sic & nos unum sumus in ipsis. S. Bernardus l. 1. in Octava Paschæ.

Qui ab unitate dividitur; nè dubitas, quin ab eo recesserit Spiritus vitæ. Idem f. 1. in festo S. Michaelis.

Quam admiranda, quam amplectenda, illius gratia; perquam ita moderatur in nobis omnia opera nostra, ut sint tam sua, quam nostra; dona sua, & merita nostra. Superius jam assignavimus, quam sint multiplices humani cordis affectus. Hos itaque ille divinus Spiritus quotidie in Electis suis paulatim contemperat, & in unam harmoniam conformat; & gratia suæ plethrò, quasi citharædus doctissimus; hos extendendo, illos relaxando, & concordem quandam consonantiam coaptat: donec reboet ex his in auribus Domini Sabbaoth melodia quædam melliflua, & super modum dulcis, tanquam citharædorum multorum citharizantium in citharis suis. Richardus à S. Viçt. de Arca myst. l. 3. c. 24.

Si ego non morior pro Mundo, Paracletus non veniet. Quomodo enim adveniet; si inimicitia non solvantur? Theophylactus in Joan. 16.

Ubi charitas, ibi Spiritus S. S. Thom. Aqu. Opusc. 14. c. 2.

Conditio necessaria ad habendum Spiritum S. est concordia fraternalis: Ratio naturalis: quia sicut Spiritus humanus, ad hoc, ut vitam det corpori, requirit conjunctionem membrorum; ita etiam est de Spiritu S. S. Vincent Ferr. f. 1. in die Pent.

## §. XI.

## S. Spiritus gratia.

## Figure, &amp; Symbola.

**F**ons ascendeat de terra, irrigans universam superficiem terræ. Gen. 2. 6. Quis ille fons? Rupertus: gratia Spiritus S. tantâ copiam rigans massam generis humani; ut omnem terram faceret aptam frugibus alendis. Apud Efcobar Perf. Chr. t. 1. l. 6. Sect. 2. Obs. 8.

**Det tibi Deus de rore calvi &c.** Gen. 27. 28. Est rationali creaturæ nos cœli non alid, quam gratia Spiritus S., quæ peccata remittit. — Rupertus l. 7. c. 17. in Gen. hic. Spiritus S. vera, & sola, benedictio est Dei. Id. ib.

**Spiritus Domini induit Gedeon.** Judic. 6. 34. Et dicitur Spiritus Domini, id est, gratia Spiritus S.; indumentum contra frigus timoris malè humiliantis: vel contra calorem amoris malè accedentis. Hæ sunt enim duæ portæ Inferni, ex quibus omne molum. Hugo Card. hic.

**Calamus scribae velociter scribentis.** Psal. 44. 2. Spiritus enim S. non paulatim, & cum mora, gratiam suam infundit, sicut acquiritur scientia per longum studium; sed subito, & citò. Unde Act. 2. 2. factus est repente sonus &c. Hugo Card. hic.

**Statuit procellam ejus in Auram &c.** Pl. 106. 29. Auram appellat Spiritus gratiam; quæ reclus cogitationibus, quasi malò, animam divino portui appellit; gubernacula ratione tenente, & ad navigationem dirigente. Dicit

enim: *deduxit eos in portum voluntatis eorum.* S. Gregor. Nyss. tr. in Pl. c. 8.

**Osuleter me osculo oris sui.** Cant. 1. 1. Desiderat gustare dulcedinem gratiæ, quæ appropriatur Spiritui S.; participando ejus bonæ, & suam gratiam. S. Thom. Aqu. hic.

**Tenu eum - donec introducã illum in domum matris meæ.** Cant. 3. 4. Mater nostra, est gratia Spiritus, quæ spiritualiter nos regenerat: cujus domus est human mens; in qua eadem gratia suscipitur. Richardus à S. Viçt. in Appendice in Cant.

**Quæ lacte sunt lota.** Cant. 5. 12. Lactis nomine gratia Dei intelligitur; quæ per Spiritum S. Ecclesiæ tribuitur. Idem hic.

**Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.** Joan. 7. 38. Aqua Spiritus est gratia, ut Evangelista docet, Figulinum autem vas cor, quod facile confringitur, ac conteritur. Theophylactus hic.

## Miscellanea.

**Abit in montana cum festinatione.** Luc. 1. 39. Quò enim jam Deò plena, nisi ad superiora, cum festinatione contenderet? Nescit tarda molimina S. Spiritus gratia. S. Ambros. in Luc. l. 2. c. 1.

**Amen dico tibi.** Luc. 23. 43. Admiranda prorsus Spiritus S. gratia in corde hujus latronis agnoscitur. Apostolus Petrus negat: Discipuli in Emaus euntes dicunt; *nos autem sperabamus*: hic autem confidenter loquitur, dicens: *memento mei &c.* Bellarminus de 7. Verb. l. 1. c. 4.

**Nisi quis renatus fuerit &c.** Joan. 3. 5. Cur in hac generatione aliquid homini non datur adjutorium, sicut in prima ejus creatione? S. Chrysost. hom. 24. in Joan: quemadmodum in principio totum formavit; ita nunc totum creat. Et tunc, *faciamus*, inquit, *ei adjutorium*; hic minime: quippe, qui Spiritus S. gratiam accipit, nullâ re indiget; qui in Christi corpore perficitur, quoniam aliò opus est auxiliò? Sylveira hic.

Spiritus S. non est acceptor personarum: non enim quærit statûs amplitudinem, sed animæ probitatem. Neque divites efferantur, neque pauperes animum dejiciant: tantummodo unusquisque se parat ad cœlestis gratiæ susceptionem. S. Cyrill. Jerol. Catech. 17.

## §. XII.

## S. Spiritus dona.

## Figure, &amp; Symbola.

**S**eptem dies (creationis) possunt assignari reparationi; quæ fit in anima per septem dona Spiritus S. Prima dies Sapientiæ comparatur: Sapientia enim animam illuminat. Secunda Intellectu enim verum bonum à non vero bonò dividimus. Tertia Consilio. Quarta Fortitudini; & sic de aliis. Hugo Card. in Gen. 1.

**Levavit pallium Elie.** 4. Reg. 2. 13. Elias quidem ascendens, pallium reliquit Elifæo; Jesus autem ascendens gratiarum dona in Discipulos dimisit; quæ non unum Prophetam, se infinitos Elifæos, efficiunt; atque multò, quam ille erat, majores, & illustriores. S. Chrysost. tom. 6. f. 2. in Asc. Uuuu 3 Quòd

Quod autem puer oscitavit septies, septiformis gratia S. Spiritus ostenditur. 4. Reg. 4. 35. S. August. Dom. 5. Trinit. f. 2.

*Fuerunt et septem filii.* Job. 42. 13. Septem filii nobis nascuntur, cum per conceptionem bonæ cogitationis, S. Spiritus septem in nobis virtutes oriuntur. Hanc namque internam prolem Propheta dinumerat, cum Spiritus mentem fecundat, dicens: *requiescat super eum - Spiritus Sapientia, & Intellectus: Spiritus Consilii, & Fortitudinis, Spiritus Scientia, & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini.* II. II. 2. S. Gregor. moral. 1.1. c. 13. in Job.

*Fragrantia unguentis optimis.* Cant. 1. 2. Unguenta optima, sunt dona Spiritus S., quibus ubera Christi fragrant. V. Beda hic.

*Stipate me malis.* Cant. 2. 5. Patres apud Theodoretum, Philo Carpath, & Nyssenum, per flores, & mala, accipiunt virtutes, & dona Spiritus S.; ac præsertim donum fortitudinis, quod animam labantem corroborat. Cornelius hic.

*Et requiescet super eum Spiritus Domini.* Eccl. 11. 2. Illa septem dona dicuntur radii ignei: quia Spiritus S. per ea, quasi ad modum ignis amorosi humiliat alta per donum timoris: liquefacit dura, per donum pietatis: illuminat obscura, per donum scientiæ: consolidat mollia, per donum fortitudinis: restringit fluida, vel dirigit deviantia, per donum consilii: clarificat metalla, per donum intellectus: ignit frigida, per donum Sapientiæ, S. Bonaventura tr. de 7. don. S. Spir.

*Haurietis aquas.* II. 12. 3. Quas haurietis aquas? nisi Spiritus S. dona quam plurima. S. Rupertus hic.

Septem dona Spiritus S. Dominus dedit per septem apparitiones. In prima Apparitione Matth. 28. 2., Spiritum timoris: cum Angelus mulieribus apparuit, & factus est terramotus. In secunda Joan. 21. 15. Spiritum pietatis, quando Petro apparuit: magna enim pietas fuit, ut neganti se singulariter appareret. In tertia Luc. 24. Spiritum scientiæ, duobus euntibus in Emmaus. In quarta Joan. 20. 20. Spiritum fortitudinis, quando Januis clausis intravit ad Discipulos, ostendens eis vulnera: sicut solent in sinum fortitudinis foramina clypei ostendi. In quinta Joan. 21. 6. Spiritum consilii frustra piscantibus. In sexta Luc. 24. 45. Spiritum intellectus, quando apprensus in medio eorum aperuit sensum, ut intelligerent Scripturas. In septima Marci 16. 14. Spiritum Sapientiæ, scilicet in die Ascensionis. S. Bonaventura in Pf. 144.

#### Miscellanea.

*Ductus est Jesus in desertum à Spiritu.* Matth. 4. 1. Sicut virtutes morales efficiunt hominem promptè mobilem à ratione, ut ejus sequatur iudicium; sic dona Spiritus S. reddunt eum facilitate mobilem à Spiritu S. Dion. Carthuf. hic.

*Esurit.* Matth. 21. 8. Esurit Jesus semper in iustis, volens manducare fructum, Spiritus S., in eis: & sunt ejus esca, ut ita dicam, ficus; quas esuriens edit, id est, charitas est ejus, qui

eam fructificavit, qui primus fructus est Spiritus S., & gaudium, & pax, & patientia, & reliqua. Origenes tr. 16. hic.

#### §. XIII.

### S. Spiritus effectus, & operationes.

Num. 1.

#### Mutat, renovat.

*Mutaberis in virum alium.* I. Reg. 10. 6. Natura nostra per lapsum primi hominis sic damnata est; ut quotidie labendo deficiat, & deficiendo veterescat. Sed qui in nobismet ipsis deficiamus, cum in nos ille Spiritus infilit, renovamur: quia statim, quod non eramus, efficitur. Tepidus erat quis; sed repente, visitatus à Spiritu, fervens efficitur. Sc. S. Gregor. hic circa medium. S. Gregor. hom. 30. in Evangelia, loquens de Spiritu S. implet citharædum puerum; & Psalmistam facit. I. Reg. 16. 23. Implet pastorem armentarium; & Prophetam facit. Amos 7. 14. Implet abinentem puerum; & Judicem senem facit. Dan. 13. 45. Implet piscatorem; & Prædicatorem facit. Matth. 4. 19. Implet persecutorem; & doctorem gentium facit. Act. 9. 15. Implet Publicanum; & Evangelistam facit. Luc. 5. 27. O qualis artifex iste Spiritus? - humanum animum subito, ut illustrat, immutat.

Spiritus S. ipse nostræ imaginis est reformatio, mentis perfectio, animæ instauratio. S. Chrysol. l. in Pent.

Ad hoc de cælo Spiritus S. missus est, ut Mundum, bene quidem, & sapienter, conditum; sed peccatis hominum male fœdaturum; suâ iterum virtute reficeret, innovaretque; & ad prioris formæ speciem, similitudinemque, quantum fieri poterat, redigeret; juxta illud Pf. 103. 30. *emittes Spiritum tuum - & renovabis factem terræ.* S. Thom. Vill. l. 2. in die Pent.

Num. 2.

#### Disponit ad ardua.

*Ductus est Jesus in desertum à Spiritu.* Matth. 4. 1. Marc. 1. 12. Spiritus expulit eum. Ubi vox *expulit* significat vim, efficaciam, & alacritatem, Spiritus, quæ erat in Christo; ac futura erat in Apostolis, cæterisque Christianis: quos ad heroica virtutum opera acturus erat Spiritus S., juxta Rom. 8. 14. *quicumque Spiritu Dei aguntur, iis sunt filii Dei.* ita S. Hieron. & S. Hilarius apud Cornelium hic.

Num. 3.

#### Facit amare cœlestia, terrena spernere.

*Ab Hierosolymis nē discederent.* Act. 1. 4. Cur hæc civitas præ aliis eligatur ad adventum S. Spiritus? Jerusalem erat valde celebris civitas, frequentia omnium nationum, admirabilis templo, divitiis &c. Ut præsentia Spiritus S. pompa, & vanitas Mundi vilesceret: cum enim divina apparent, mox omnia terrena disparent, ac pro nihilo habentur. Sylveira hic q. 8.

*Cum esset plenus Spiritu S., intendens in cælum &c.* Act. 7. 55. B. Petrus Dam. l. de S. Stephano: intellige consecutionem verborum: *plenus*

plenus est Spiritu S., & sic intendit in caelum: quia, qui Spiritu divinitatis afflantur, conculcatis terrestribus, celestibus inhiant, & aeternis. Velit, nolit; cedit Spiritui S. vanitas Spiritus humani. Id. ib.

*Ascendit in superiora, ut oraret.* Act. 10. 9. Deus humanas mentes in sublime erigit. Alta semper quærat, qui igneo Dei Spiritu agitur. Quò recepto igne Petrus; qui alias sæpe mare descendebat in navibus, *ascendit in superiora &c.* Jam, propter divinum ignem mente clausum, non placebant illi ima loca; sed totus in superiora ferebatur. S. Cyrill. Alex. l. 9. in Levit: Petrus, quæ sursum sunt, quærebat; non quæ super terram. Illuc ascendebat, ad illa recta, ad illa fastigia; de quibus Dominus Matth. 24. 17. *qui in tecto est, non descendat aliquid tollere de domo sua.* Hinc est, quòd Christianos suos Dominus renasci fecit ex aquis: ut celestium corporum naturæ associetur; eorumque proprietatem, & cognationem bibat. S. Zeno Veron. f. de Judæis: genitalis unda submergit, ut celestes effecti, terram desiderare non norint. S. Chrysof. hom. 22. ad pop. si non potes sol fieri, fias stella duntaxat. Tantum ascende super terram; incipe amulari sideribus. Baza t. l. 1. c. 8. §. 2.

Mentem, quam S. Spiritus replet, in amaritudinem temporalium delectatio aeternorum commovet. S. Gregor. hom. 10. in Ezech. 3. prope finem.

Num. 4.

#### Alii præclari effectus.

*Copitque Spiritus Domini esse cum eo.* Judic. 13. 25. Etiam ipsius corporis vires à Spiritu S. sunt expectandæ: quòd enim fortissimi illius Samsonis vires ab hoc Spiritu profectæ sint, apertum est ex historia Judicum. Isidorus Clarus l. 1. or. 4.

*Comburet igni.* Pf. 45. 10. Dura corda molliet igne Spiritus S. Hugo à S. Vict. hic.

*Tanquam ignis.* Act. 2. 3. Spiritus S. in igne, & linguis, apparuit: quia omnes, quos impleverit; ardentes pariter, & loquentes facit. V. Beda hic.

In columba, & in igne, Spiritus S. ostenditur: quia, quicumque illò pleni sunt, sic mansuetudini simplicitatis inserviunt, ut contra culpas delinquentium etiam zelò rectitudinis accendantur. S. Gregor. mor. l. 1. c. 2. in Job.

Misus est Spiritus S., ut amorem faceret, & solveret à timore. Timor legem non implebat, amor implevit. Timuerunt homines, & non impleverunt; amaverunt & impleverunt. Quomodo timuerunt, & non impleverunt; amaverunt, & impleverunt? Timebant homines, & rapiebant res alienas; amaverunt, & donaverunt suas. S. August. in Pf. 90.

Justitia prima fuit in rudimentis, natura Deum metuens: dehinc per legem, & Prophetas, promovit in infantiam: dehinc per Evangelium efferbuit in juventutem: nec per Paraclerum componitur in maturitatem. Tertullianus lib. de veland. Virgin. c. 1.

Venit super Discipulos in linguis igneis, ut verba ignea loquerentur; & legè igneam linguæ igneæ prædicarent. S. Bernardus l. 1. in die Pent,

Habitare in corpore animam, probat vitalis motus corporis: habitare in anima Spiritum, probat vita Spiritualis. S. Bernardus l. 1. in De. dic. Eccl.

Esti cessavit, & requievit, die septimò Pater; cujus erat proprium condere rerum naturam: non cessavit Spiritus S.; cujus est opus proprium meliorare naturam. S. Rupertus de oper. S. Spir. l. 1. c. 2.

Per Verbum Patris esse sumpsit; per Spiritum S. verò bene esse sumit, creatura rationalis. Id. ib. c. 3.

§. XIV.

#### S. Spiritui perfecte obediendum.

*Tunc Jesus ductus est &c.* Matth. 4. 1. Effectum Spiritus S. perspicere. Non invit vel solà utens humanà ratione; sed ductus est à Spiritu S. inspirante, & agente, ipsum. Cajetanus hic. Ductus Syrus: *à Spiritu Sanctitatis.* Et statim Spiritus expulit. Marc. 1. 12. id est, promptè, ac fervidè duxit, & movit Christum in desertum. Christus enim secundum assumptionem humilitatem, in omnibus promptissimè & celerrimè, obediuit instinctui Spiritus S. Dionys. Carthus. hic.

*Seditque supra singulos eorum.* Act. 2. 3. Quòd sedisse dicitur, regie est potestatis indicium. V. Beda hic.

§. XV.

#### Dispositiones ad S. Spiritum recipiendum, & conservandum.

##### Ex Veteri.

**A**T columba, non inventa requie pedibus suis, rediit ad ipsum in arcam. Gen. 8. 9. S. Chrysof. hom. 26. hic quærit: quomodo non invenerit requiem; siquidem, teste scripturâ, *cacumina montium* fuerunt visa? Respondet: quia cacumina limò adhuc plena erant. Columba non sedit in terra lutosa, vel cadaveribus: quia Spiritus S. non intrat carnalem, & malevolam animam. S. Ambros. l. de Noe c. 17.

*Exaudi me Domine.* 3. Reg. 18. 34. 37. Oratio primum requisitum ad impetrandum à cælo ignem Spiritus S. Efficacia hujus ignis, quò combusta idola gentilium. Aquæ sapius affusæ vim ignis impedire nequiverunt: quia *aqua multæ &c.* Cant. 8. 7. Quin potius, sicut Scriptura ait, *ignis lambit aquam*: lambere autem proprium est linguæ ea, quæ sibi dulcia sunt, & sapida, lingentis, & degultantis. Sic linguæ illæ igneæ amaras tribulationum aquas lambebant, inundationem maris sicut lac sugentes. Deur. 33. 19. Si autem hunc ignem è cælo tibi vis trahere; præpara imprimis cum Elia holocaustum teipsum, mactando, & abnegando, cuncta vitia, affectus, passiones. de Ponte in Cant. 2. Exh. 32. §. 3.

*Quoniam ad te clamavi, latifica animam meam.* Pf. 85. 3. 4. *quoniam ad te Domine animam meam levavi.* Qui verè, & ex corde, Deum amat; cogitando, & desiderando Deum; animam suam ad Deum levat. Contrà qui terram amat, cogitando, & concupiscendo, terram; animam suam ad terram deprimit. Itaque illi solus verè cum Propheta dicere potest, *ad te Domine animam meam levavi*, & jure subpetere

a con-  
nem,  
quòd,  
ndum  
mmo-  
i. i.  
i non  
gi gu-  
sare,  
Dei:  
cum  
72. 5.

ostis,  
quòd  
ratio-  
asc. de

sunt,  
es ab  
s, cir-  
aben-  
quan-  
lesia:  
illis.  
gelo-  
agnæ  
ctus.

Me-  
o, ad-  
ten-  
ut in  
4. in  
ator;  
3. de  
num  
& vi-  
oluit.  
o no-  
igna-  
figi;  
iam,  
etur.

omi-  
cun-  
culis  
um.  
tan-  
proce-

quod  
utas  
qui  
emi-  
, ex  
vo-  
ssie,  
. 19.  
ister.  
Qui

petere potest consolationem Spiritus, ac dicere: *laxifica animam servi tui*, qui nullam tenetur concupiscentiam rei creatæ, nec ullum terrenum luto affixus hæret. Bellarminus hic.

*Ossa arida &c. intronitiam in vos Spiritum.* Ezech. 37. 4. 5. Ossa arida, sunt personæ abstinentes à deliciis, vitiis: in istis mittit Deus Spiritum S. S. Vincent. Ferr. l. 1. in die Pent.

### Ex Novo.

*Vinum, & siceram, non bibet.* Mox subditur: *Spiritu S. repletur.* Luc. 1. 15. V. Beda: cui vini ebrietas tollitur, S. Spiritus gratia cumulatur.

*Si non abiero, Paraclitus non veniet.* Joan. 16. 7. Acti apertè diceretur: si corpus non subtraherem, quis sit amor Spiritus, non ostendo. Et nisi me deseritis carnaliter amare; nunquam me discetis spiritualiter amare. S. Gregor. Dial. 1. 2. c. 38.

*Mittam eum ad vos.* ib. v. 7. id est: mittam eum in vos. Non enim de loco in locum mittitur, qui ubique est, Deus Spiritus S.: neque parietibus comprehenditur; sed sensibus mentis, & fide, suscipitur. S. Rupertus l. 12. hic. Si Apostoli, adhuc carni Dominicæ inhærentes, quæ sola sancta (quia Sancti Sanctorum erat) Spiritu S. repleri nequiverunt, donec Tolleretur ab eis: tu carni tuæ (quæ fordidissima est, & diversarum spurcitiarum plantafis repleta) adstrictus, & conglutinat, illum meracissimum Spiritum te posse suscipere putas; nisi carnis istis consolationibus funditus renuntiare tentaveris. S. Bernardus l. 3. in Asc. Dom.

*Replevit totam domum, ubi erant sedentes.* Act. 2. 2. Divinam virtute, speciem ignis præferente, repleti sunt; qui in cœnaculo, id est, in superiore domus parte, commorabantur. Nemo enim Spiritus S. particeps fieri potest, qui non excellam hujus vitæ parte versatur. Nam qui ea, quæ sursum sunt, sapiunt; qui que consue tudine suâ; à terra in cœlum translata, sublimem illam Republicam colunt; Spiritum assequuntur. S. Gregor. Nyss. orat. in Pent.

*Effundam de Spiritu meo super omnem carnem.* Act. 2. 17. Lyran: super illos venit Spiritus S., qui habent cor tenerum ad modum carnis; & non lapideum, ac obduratum in peccatis.

### Ex Patribus, & aliis.

Peccantes contristamus Spiritum S., justè verò agentes, & sanctè, requiem ei paramus in nobis. Origenes hom. 6. in Numer.

Ejice Spiritum diaboli, & spiritum Mundi hujus; & accipies Spiritum DEI. S. August. Man. c. 27.

Gaudium vanitatis facit vas rimosum. Ejice ergo quod malum est; ut, quod bonum est, percipere possis: effunde amaritudinem, ut dulcedine implearis. Spiritus S. gaudium est, & Spiritus S. amor est. Ejice spiritum Mundi, & spiritum diaboli; ut accipere possis Spiritum Dei. Hugo à S. Vict. de spiritu Mundi, & Spiritu Domini.

Hæc duo certissima signa sunt Spiritus S.: justè mansuetudo animi in proximum, & vera cor-

dis humilitas in Deum. Philo Carpath. in Cant. c. 7.

Nunquam Spiritus S. in corde recipitur, nisi culpa antea expellatur. S. Bonaventura f. 79. in Pent.

Dispositio multum necessaria ad habendum Spiritum S., est audientia doctrinalis. Declaratur per similitudinem de igni; in quo percussio lapidis ad ferrum executi ignem. Lapis est Christus; ferrum est lingua Prædicatoris; materia nigra est populus, qui est niger ex peccatis; ignis Spiritus S. Viacens, Ferr. l. 1. in Pent.

### §. XVI.

#### S. Spiritus impedimenta.

*Videbit omnis caro pariter, quod os Domini locutum est.* II. 40. 5. Hebr. *revelabitur gloria Domini, & videbit omnis caro, quod os Domini locutum est.* Omnis caro, juxta phrasim Scripturæ, carnis nomine intelligitur homo. *Omnis caro fanum.* II. 40. 6. Et non dicitur omnis homo, sed *omnis caro*, ut notat S. Hieron. hic: quia propterea appellabatur caro; quia prius scilicet ante Christi adventum, Spiritum S. non habebat. Sylveira in Luc. 13.

*Spiritum nolite extinguere.* I. Thess. 5. 19. Spiritum, id est, dona, gratias, lumina, Spiritus S.; qui est quasi lampas resurgens in nocte hujus sæculi. Sic parentes Spiritum in filiis extinguunt, cum desideria callitatis, religionis, aut vitæ perfectioris, suffocant per vitam licentiorum; quæ cogunt eos studere tripudiis, conviviis aliisque Mundi vanitatibus. S. Chrysost. Spiritus, æquè ac lucerna, extinguitur; si aut olei parum habuerit, aut foramen non obturaveris, vel ostium non occluseris. Quod verò est hoc foramen? Quemadmodum in lychno habet, ita & in nobis. Foramina sunt oculi, & aures: nè finas istis occurrere validum malitiæ flatum; alioquin lychnoo extinguet: sed obtura foramina timore Dei. Janua os est: claudere; ita scilicet occludetur & lucem exhibeat, & externum impulsum repellat. Fit autem sæpenumero, ut, etiam nullò exterò impulsu incumbente, extingatur fax; quando videlicet oleum deficit: quando misericordiam non facimus, extinguitur Spiritus: etenim ex misericordia Dei venit ad te Spiritus. Cornelius hic.

### §. XVII.

#### Miscellanea.

*Nolite inebriari vino, in quo est luxuria; sed implemini Spiritu S.* Eph. 5. 18. Præclara est hæc ebrietas: hac spirituali crapulam animam sopora. Non dixit, particeps estote Spiritus, sed *implemini Spiritu*: ad summum usque mentem, tanquam calicem, imple Spiritu; nè quidquam deinceps injicere possit diabolus. S. Chrysost. tom. 6. orat. contra ebriet. & de resurrectione.

In specie ignearum linguarum sedit super illos: ut novæ coronæ spirituales per linguas igneas imponantur capiti illorum, S. Cyrill. Jerof. Catech. 17.

Reag.

Recedente Spiritu S. à tabernaculo mentis, evacuatur homo dulcedine, & impletur omni amaritudine: nullusque locus est ei in cœlo, quia

alienum se fecit à bonitate. Efficitur cubile draconum, & habitatio immundorum spirituum. S. Martialis ep. ad Burdegalenses c. 7.

## TITULUS XXXVII. STELLÆ.

§. I.

Vocantur militia, castra &c.

**M**ilitia cœli. Deut. 17. 2.  
Vas castrorum in excelsis in firmamento cœli resplendens gloriose. Eccl. 43. 9. Stellæ sunt, quasi vasa, id est, arma bellica Dei. Non deficient in vigiliis suis, v. 11. quia, quasi milites, & Vigiles Dei, perpetuo excubant, intenti ad omnem ejus nutum. Cornelius in Gen. 1. 16.

Qui educit in numero militiam eorum. If. 46. 26. Militiam vocat stellas, & alia. 70. vertant: ornatum eorum. Cornelius hic.

§. II.

Stellarum magnitudo, celeritas, &c. laudes.

Stella quælibet in firmamento longè major est totâ terrâ. Distinguunt Astrologi stellas in sextâ magnitudinis differentias; traduntque, illas, quæ primæ, & summæ, magnitudinis sunt, continere magnitudinem terræ centies, & septies. Quæ secundæ magnitudinis, nonagies: quæ tertiæ, septuagesies bis: quæ quartæ, quinquagesies quater: quæ quintæ, triginta novies: quæ sextæ, & infimæ, decies octies. Cornelius in Eccl. 4. 3.

Docent Astronomi, quamvis stellam, in æquinoctiali positam, singulis horis conficere quadraginta duos miliones milliariarum; & insuper tertiam partem millionis; hoc est, tantum, quantum eques, quadraginta milliaria quotidie conficiens, posset 2904. annis conficere. Docent insuper, nullam stellam esse in firmamento, quæ non decies octies major sit totò globò terræ. Cornelius in Gen. 1. 16.

Deus stellas tot astris distinctas, tantâ varietate motuum, tantò sonorum concentu, insignes, educit, & movet; ut nulla creatura admirari satis possit. S. August. ep. 28. ad S. Hieron.

Suum jam ex se cultum terra acceperat, propriis convestita germinibus: acceperat, propriis convestita germinibus: acceperat & cœlum; nempe siderum flores roseos. S. Basiliius hom. 3. in hexam.

Per lunæ, stellarumque, fulgorem cœlum velut quibusdam floribus coronatum, ita ignitis luminaribus micat; ut paradiso putes vernante depictum, spirantium rosarum vivis monilibus renitere. S. Ambros. l. 4. hexam. c. 2.

Quartò autem die, cœlum picturis exornavit. Philo Jud. de Mundi opificio.

§. III.

De Stella trium Regum.

Stella illis, tanquam lingua cœlorum. S. August. S. 2. in festo Epiph.

Quid erat illa stella, quæ nec unquam antea inter sidera apparuit, nec postea demonstranda permanfit? nisi magnifica lingua cœli, quæ narraret gloriam Dei. Id. ib. c. 3.

Quando audis stellam; nè talem putes illam, quales videmus; sed divinam virtutem, & angelicam, in figura sideris apparentem. Theophylactus in Matth. 2.

Descendit stella à summitate, & terræ propior facta, ostendit eis locum: nam si ex summitate apparuisset, quomodo certiores fieri potuissent de loco, in quo esset Christus? Id. ib.

Apposita stella duxit Reges ad Christum Regem regum: quia stella habet speciem coronæ regiæ. Cornelius in Matth. 2.

Magi cognoverunt Christum natum ex stellâ indicio. Primò quia id prophétabat Balaam. Num. 24. 17.

Magi autem fuere posterii, vel successores, Balaam. Secundò ex instinctu, & revelatione Divina. Tropologicè: Stella hominis Fidelis est fides, prudentia, præcepta, consilia Evangelica, ac præsertim obedientia, ductusque Superioris; item sanctæ Dei inspirationes. Id. ib.

Quæ in orientali regione promicando apprens, ostendit; quòd ille, qui natus est, *Oriens* est nomen ejus: & ad Occidentem vadens; quòd omnia mala occisurus erat occisus. Et contra Occidentem, culpam, sive maculam occidentam, & occidentales tenebras depellendas illuxerat; per amplius illustraturâ humanæ mentis meridiem; & calefactura Septentrionem. Sim. Cass. l. 1. c. 11.

Fortè nec digni erant videre novam stellam homines perducentes ad verbum carnem factum; quod non credentes patibulo affixerunt; pro quo sol antiquus obscuratus est. Id. ib. c. 12.

### Miscellanea.

Fatum ponentes nolunt advertere, quòd; electò ad seminandum agrum die, tam multa grana in terram simul veniunt, simul germinant, & exorta segete simul herbescunt: & tamen inde spicas cæteris cœvas, alias rubigo interimit, alias aves depopulantur, alias homines avellunt. Quomodo, istis alias constellationes fuisse, dicturi sunt; quos tam diversos exitus habere conspiciunt? S. August. de Civ. l. 5. c. 7.

a con-  
nem,  
quòd,  
ndum  
mmo-  
i.  
i non  
gi gu-  
lare,  
Dei:  
cum  
72. 5.

ostis,  
quòd  
ratio-  
sc. de

Sunt.  
es ab  
s, cir-  
aben-  
quan-  
lesia:  
illis.  
gelo-  
agnæ  
ctus.

Me-  
o, ad-  
ten-  
ut in  
4. in  
ator;  
3. de  
num  
& vi-  
luit.  
o no-  
gna-  
figi;  
iam,  
etur.

omi-  
cun-  
culis  
um.  
tan-  
oræ-

mod  
utas  
qui  
emi-  
ex  
vo-  
stia,  
19.  
ster.  
Qui